This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

A 469590


ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE



879.8
A33t
N4

TROILUS

ALBERTI STADENSIS

PRIMUM

EX UNICO GUELFERBYTANO CODICE

EDITUS

A

DR. TH. MERZDORF

SUMMO BIBLIOTHECAE OLDENBURGENSIS PUBLICAE PRAEFECTO.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXV.

PRAEFATIO.

Magister Albertus monachus ordinis sancti Benedicti e genere plebejo oriundus exeunte saeculo post Christ. nat. XII in Germania septentrionali videtur natus esse. Quo tamen loco litteris incubuerit, ubi magisterio ornatus sit, non constat. E sagaci clari viri Lappenbergii, nunc defuncti, sententia noster Albertus magister ille Albertus de Ramslo videtur fuisse, qui inter Bremenses canonicos in charta anni 1224 d. Junii 23 data „praepositus Ramsloensis“ nominatur et inde ab anno 1206 magistri titulo non adjecto commemoratur. Monasterii sanctae Mariae Stadensis prior factus in Christophori abbatis a. d. 4. Kal. Aug. anno 1232 defuncti locum successit et a Balduino Livoniae legato ordinatus est. Anno 1234 curiam Romanam adiisse atque fratrum minorum ordinem intravisse ipse in annalibus ad ann. 1240 narrat, de itinere illo tamen, quod nonnulli eum anno 1238 cum Adolpho Holsatiae comite fecisse non verisimiliter tradunt, nihil commemorat. Munus abbatis ann. 1242 deposuit et totum se litteris et studiis dedit. De morte eius nihil certi constat, attamen circa annos 1264. 1265 decessisse affirmare licet.

Inter annalistas medii aevi quanquam Albertus noster non infimum locum obtinet, ejus, quamvis magnam in annalibus cognitionem veterum poetarum prae se ferentis, facultas poetica longum per tempus ignota latuit. Nunc demum eum duorum carminum auctorem esse scimus, nam praeter Troilum, de quo mox plura, in antiquo catalogo bibliothecae Bordesholmiensis, quem 1850 nostro libro: „Bibliothekarische Unterhaltungen.

266812

Neue Sammlung" inseruimus, enumeratur sub signo F. 15. (lib. cit. p. 37) „Auriga Alberti abbatis Stadensis". Nomen tantum innotuit, codex ipse periit. Lappenberg (Pertz monument, German. T. XVI. 272 sqq.) in praefatione editionis annalium Albertinorum suspicatus est, nomen Aurigae in Quadrigae mutandum et ad hoc Alberti carmen referenda esse, quae in chronico monasterii Rosenveldensis (cfr. Vogt monument. rer. German. 1740 T. I p. 136.) de monachi cujusdam Rosenveldensis metrico libro, qui dicitur „Quadriga" narrantur, addito loco ex hoc Quadriga desumpto. Quadrigae nomen liber inde trahit, quod de quatuor evangeliis agit. Locus ille describit monasterium Rosenvelde sequentibus Albertinis simillimis versibus:

„Est locus a Roseo qui traxit nomine nomen,
In spatio speciosus et in specie spatiosus,
Quem situs ipse loci, quem rerum copia monstrat,
Quem Comitum praelarga manus, quem culmen honorat,
Quem pietas Procerum, quem vestit gloria Regum,
Est locus ipsa rosa, rosa, campi gloria, nescit
Haec rosa spinetum, neque pungit spina rosetum.
Est locus ipsa rosa, non haec rosa mane Cydippe
Vespere lucis erit, modo florens, protinus arens,
Nunc rubra, mox pallens, modo invida, livida statim
Nunc oriens simul et moriens: arescere nunquam
Haec solet aeterni foecunda propagine veris,
Non aestas, non audet hiems, non Aeolus istam
Derosulare rosam. Mos est pallere rosarum
Solis ad intuitum, trahit haec a sole ruborem,
Quicquid habet natura boni, locus iste locorum
Continet, omne mali fermentum longius arcet
Regina solis ubi sublimibus alta columnis.

Lappenberg sine dubio recte suspicatus est et scriptor catalogi Bordesholmiensis d. a. 1488 titulis antecedentium librorum: „Auroga (sic) Petri de Riga, Aurora Petri de Riga" deceptus per errorem pro Quadriga scripsit Auriga.

Sed mittamus hunc librum cujus nomen tantum

et *ἀποσπασμάτιον* novimus et transeamus ad „Troilum“ quem ab Alberto scriptum, cum ex inscriptionibus in fronte totius operis atque ante prooemium adjectis:

„Accessus in Troilum magistri Alberti“

„Incipit prooemium in Troilum magistri Alberti abbatis Sanctae Mariae in Stadio, qui postea factus est frater minor“

tum ex loco carminis (lib. VI v. 670 sqq.) apparet:

„Virginis a partu duc annos mille ducentos
Et quadragenos hic sociando novem,
Prodiit in lucem, tunc editus ille libellus,
Quam miser est mundus insinuare volens.
Forsan adest aliquis dicetque, quis edidit illum?
Ista requirenti reddere verba potes.
Ecclesiam scis in Stadio, quam protegit alis,
Nam caput est ejus, virgo beata suis.
Qui scribens: in principio verbum caro factum
Intonet, illius ad latus ille volat.
Prodiit ex rutilo roseus locus ille roseto,
Ingenua matrem nobilitate sequens.
Sic florendo vigent, ut odore, colore, sapore
Nunquam degenerent, hic tribus ambo placent,
Splendescit virtute color, doctrinaque pascens
Est sapor et famae balsama spargit odor.
Abbatem nosti Tirricum, cui dedit olim
Ecclesiae dictae virgo patrocinium.
Cui virtus animam decorat, facundia linguam,
Dapsilitate nitet, utilitate viret.
Ille suos quondam non ultimus inter amicos
Ante virum talem, qui tulit ejus onus,
Edidit hunc sexto finitum mense libellum,
Cui tamen hoc tempus syncopa multa tulit.
Correxit pigritans. Labor hic, quam scribere major
At corrector ait: sint tua siqua valent.“

His versibus, more illius aetatis, nomen auctor abscondidit, quod tamen duce catalogo abbatum Stadensium faciliter erui potuit, nam Theodoricus (Tirricus) successit nostro Alberto abbati 1242. Nomen Al-

berti prodit etiam catalogus antiquus bibliothecae Bordesholmiensis (lib. cit. p. 39) codicem nunc Guelferbytanum sub litt. G. nr. 18. commemorans: „Philippice Tullii. Troylus Alberti abbatis stadensis“ inscriptionibus: „liber sanctae Mariae in Novomonasterio“ ornatum. Codex igitur jam ante annum 1332, quo anno praepositus Hinricus Swineborg conventum Novimonasterii Bordesholmum transposuit sub hoc titulo et hac inscriptione inter libros Sanctae Mariae in Holsatiae Novo Monasterio adservabatur.

Carmini, quod se anno 1249 confecisse in supra memoratis versibus auctor ipse ait, imposuit nomen Troili et propter bellum Trojanum et quod Troilus filius fuerat Priami:

„Troilus est Troilus Trojano principe natus,
Et liber est Troilus ob Troica bella vocatus“,

qui versus in fine prooemii et libri totius inveniuntur. Totum carmen, exceptis prooemii et argumentorum versibus metro heroico compositis, elegiaco metro scriptum Trojanum et Graecorum proelia, Trojaeque excidium continet libris sex, versibus 5320 ut poeta ipse ait (lib. VI v. 735 sqq.):

„Tot positis numeris etiam fortasse requiris,
Currere versiculis quot liber iste velit;
Bis denis adde tercentum millia quinque,
Hoc numero textus texitur historiae“.

Qua causa, hoc ut carmen faciat, permotus sit, ipse etiam narrat (lib. VI v. 365 sqq.):

„Et fortasse legens sic dicet, cur tulit auctor
In cameram studii Troica bella sibi?
Non propter Trojam Trojanum scribere bellum
Aut coepit Phrygum sollicitare stylum,
Sed ductus meliore via compescere pravos
Et servare dei vult in amore bonos.
Grata medulla latet omni sub cortice rerum,
Et nucleum celat arida testa bonum.
Nos docet Herodes, sicut Baptista Johannes,
Erudit iste bonos, territat iste malos;

Et bene, si memini, fas est ab hoste doceri
Virtutumque Sathan fabricat arma tibi.
Nos ad serpentes, formicas bestiolasque
Et sacra pennatas pagina mittit oves,
Et mihi Job loquitur, quia me jumenta docebunt,
Et nihil est quod non prosit et obsit idem.
Hic sonat invidia, livor, truculentia, fastus,
Ambitio, rancor, ira, libido, dolus.
Postremum vero Trojae miseranda ruina
Informativa singula voce sonat:
Ut malus obsistat, justusque resistat, habeto,
Sed quia clauserunt haec mala sine malo.
Quod brevis est risus, quod longaque lacrima mundi
Quondam Troja potens incinerata docet.
Jam firmum nihil est, cui non metus esse ruinae
Possit et hoc subito; persequor ergo cito".

Cur elegiaco quam heroico metro maluerit carmen condere, auctor hisce prodit prooemii versibus 18 sqq.:

„Res gestae regumque ducumque ferocia facta
Quo scribi possent numero monstravit Homerus.
Scilicet heroico dicetur forsitan, isti
Currere versiculi quia deberent pede tali,
Quodque per exiguos magnorum magna virorum
Proelia non deceat elegos scripsisse probabant.
Sane concedo, sed gesta miserrima scribo
Et strages miseras miserorum, qui misereri
Noluerant sibi nec aliis, sed morte metebant
Se misera misere, misero stimulante furore.
Per miseros igitur elegos hoc ducere carmen
Decrevi miseram sortem miseratus eorum,
De quibus hic legitur, miseri qui castra sequuntur.
Hac nostra ratione stylus non debuit istas
Scribere nec debuit heroum carmine morte,
Sed numeris sub disparibus lex metrica saltat,
Tanquam de miseris haec est narratio, dicat".

Daretem, qui magno in honore apud omnes medii aevi scriptores fuit, anxie et iisdem paene verbis utens secutus est, ut ipse testatur lib. III. v. 239 sqq.:

„Sed Phrygii tenet historiam liber iste Daretis,
Qui praeter verum scriptitat inde nihil.
Hunc sequor etc.“
et lib. VI. v. 697 sqq.
„Nulla poetarum posuit figmenta, Daretis
Historiam soliti scribere, vera tenens.
Et Phrygius fuit ille Dares, et tempore belli
Ipse quidem miles proelia visa refert“.

Sed narrationes et allocutiones more poetarum intercalavit, quae a veritate non discrepare et cum Darete (cfr. lib. III. v. 241 sqq.) congruere videbantur:

„Hunc (Daretem) sequor adhibitis interdum verba virorum
Quaeve loquebantur vel potuere loqui.
Ponatur quod et hi non sint ea forte locuti,
Causae praesentis sunt tamen apta rei“.

Virgilium et Homerum vehementer ob fictiones, ut etiam Dictys et Guido de Columna fecerant, vituperat, id quod locus lib. III v. 217. 227 sqq. de Dolone et Rhesi equis satis docet, ubi dicit:

„Trojanos, quos prodiderit, mentitur Homerus“
„Hos rapuisse simul, quos nulla perire sagitta
Posset nubigenos hic memoravit equos.
Crediderim sic dicenti? quis nube creatos
A primo mundi tempore vidit equos?
Non miror! majora movet mendacia bello,
Isti quum duos narret adesse deos.
Pro Pelide Thetis, pro Graecis Juno fatetur
Et quod pro Paride moverit arma Venus.
Praeterea recto non cecinit ordine bellum
Aut a militibus, qui cecidere, quibus.
Hanc quoque materiam figmenta poetica nebant
Sicut Virgilius arma virumque canens“.

Narrationes, quas Albertus intercalat Dareti, hae sunt: Argonautarum migratio, Jasonis facta heroica, dialogus inter Paridem et Helenam, reditus Graecorum (secundum Dictym) et alia quae tamen parvi momenti sunt. Libro quinto, ubi Penthesilea Trojam venit, pro-

fusius et prolixius de Amazonibus secundum Orosium loquitur:

„Non meus hic sermo, testatur Orosius ista,
Cujus habent plenam singula verba fidem".

De Penthesilae sornatu, forma et figura, majore ut videtur gaudio et tudio, quam clerico par est, et de festivitatibus in honorem reginae loquitur, aulaea describit et in illis universum illius temporis scientiarum ambitum interspersis fabulis et historiis ad illustrationem idoneis. Albertum igitur nullum alium Daretem secutum esse, quam quem nunc habemus et paucas tantum interspersas narrationes ex aliis scriptoribus ut Orosio, Ovidio depromtas esse concludendum est. Körtling (Dictys und Dares 1874) Benedictum de Sancto Mauro (Benoit de St. Maure) poetam Gallicum nostro Alberto paene aequalem alio quodam Darete magis extenso in carmine suo de bello Trojano usum esse existimat. Nimis credimus perspicaciter; nam etiam noster supplevit quae deesse videbantur, quapropter, cum simili modo Benedictus egisse videatur, ea conjectura non opus est, ut et novissimus Benedicti editor, Joly eam reputat. Duo exstant codices manuscripti Graeci de bello Trojano, qui cum Darete cohaerere videntur sed falso, nam Cod. Paris. olim 3352 nunc 7878 in 4 continet versionem Graecam libri gallici de excidio Trojae (Roman de la destruction de Troye. cfr. Hist. litt. de France T. XIII p. 423 sqq.) et Codex Vindobonn. (Lambecc. CCXCVII. Nessel CCXLIV) fol. 260—324 carmen Graecum ἡ Τρωάδα ut docet Wagner in praefatione carminum Graecorum medii aevi. Neuter innotuit Alberto nostro, cujus etiam notitiam fugit heroico metro compositus Dares, qui asservatus in codice Parisin. (lat. 8430 fol. 9—fol. 16) 930 versus continet. Joly p. 156 initium:

Historiam Troje figmenta poetica turbant.
Unde, licet magnis fortuna sit invida ceptis
Dignaque tam longis non sit mea buccina bellis,

Mens tamen incaluit, vestigia fida sequendo,
Daretis frigii Trojanum scribere bellum.

et finem:

Et precor ille (sic) mei sit consummatio cepti.

hujus carminis praebet. Sed mittamus haec.

Liber primus nostri poetae continet Daretis capita I—XI, secundus capita XI—XXI, tertius capita XXI—XXVIII, quartus capita XXVIII—XXXVI, quintus capita XXXVII. XXXVIII, sextus capita XXXIX—XLIV.

Sermo non differt a scriptoribus hujus aetatis, gaudet tamen auctor logodaedalia ut inscriptio:

„Troilus est Troilus Trojano principe natus,
Et liber est Troilus ob Troica bella vocatus".

et fragmentum Quadrigae docent:

„Nunc oriens simul et moriens".

Quanquam enim etiam alii hujus saeculi scriptores huic ludo operam dabant, noster eos superat omnes; cujus lusus hic nonnulla tantum praestantiora praebemus exempla:

I, 499. Bellum Cassandra nitens cassare futurum.
III, 3. A specula speculum speculans inamabile bellum.
III, 57. Aeneus Aeneas, cujus caput aenea cassis.
V, 31. Ecce tuus luxus est, Troilus impie, luctus.
V, 303. 4. Et miser in miseras dejectus es ipse cavernas,
Quas misere miseris pro meretrice dabas.
V, 419. 420. Passive non lascive; non sicut amantes
Se, sed ut amentes composuere truces.
V, 499. 500. De timidis tumidi fiunt hortamine Pyrrhi,
De pavidis avida pectora dantur ita.
V, 541—545. Et vi virtutis erit illa vir et quasi vi vir,
Vir quoque non vilis immo virilis erit.
Femina sive vir es? hic si vir es, exere vires,
Haec erit in vi res; robore nonne vires?
Non tu femineas imbelles, immo rebelles.
V, 630. Sed frigere vides spe fluitante Phryges.

V, 708. 9. Re si non, opere volo vos operaque juvare
Et si non per opem vel per opus, per opes.

V, 1007. Degener es, si degeneres a more parentum.

VI, 284. Feceris, infelix et cibus ignis eris.

Plura hujusmodi exempla afferre non est difficile, sed haec sufficient.

Heusingerus, et qui eum secuti sunt Wernsdorfius, Ebertus, Schoenemannus, Lappenbergius carminis facundiam et elegantiam laudaverunt. Fefellit eos permagnus versuum e Romanis poetis depromtorum numerus, quem noster Albertus non sine suavitate quadam carmini suo intexuit. Virgilius, Ovidius, Statius, Claudianus, Lucanus, Avianus, Maximianus (Pseudo-Gallus) Pamphilus, Anonymus Neveleti, Pindarus Thebanus (a nobis Epitomator signatus) immo Benignus Floriacensis, Alanus (Anticlaudianus), Hildebertus (de excidio Trojae) aeque ac Gualteri ab Insulis Alexandreis (quae paulo ante edita erat) pro sua quisque parte effecerunt, ut carmen elegantius et ob sententias interspersas nervosius procederet. Non centonem quidem scripsit Albertus e variis et diversis carminibus et carminum fragmentis consutum, sed permultos versus, qui ei praesto erant, carmini inseruit. Quanquam Ausonius ad amicum Paulum de isto carminis perficiendi modo judicat: „nam duos junctim locare versus, ineptum est: et tres una serie, merae nugae", in admirationem tamen rapimur ob incredibilem nostri multa in lectione versati auctoris memoriam, qui quicquid sibi opus erat, ex diversis poetis praesto videtur habuisse. Plurimos versus eruimus, adposuimusque locos, quibus desumti sunt, alii nos fortassis effugerunt; alii, quos hic enumeramus, etiam — forte non iisdem verbis et non integri — in antiquis poetis latere suspicamur.

Ejusmodi sunt:

Lib. I. vv. 223. 301. 312. 313. 323. 324. 357. 358. 411—16. 419—28. 459. 60. 465. 466. 471. 472. 475. 476. 504. 507. 508. 511. 512. 609. 675. 680. 682—85.

Lib. II. vv. 117. 120. 212—16. 219. 220. 230. 231. 239—42. 279. 280. 340. 357. 358. 420. 421. 428. 429. 471. 473—75. 477. 566. 567. 607. 660. 671. 684—89. 692—704. 707. 708. 838.

Lib. III. vv. 101—103. 111. 129. 130. 179. 180. 193. 194. 253. 254. 261—264. 273. 274. 284. 287. 288. 374. 477—480. 547. 548. 599. 602—8. 611. 612. 625—32. 639. 640. 663. 664. 678. 719. 720. 858.

Lib. IV. vv. 25. 26. 81—84. 91. 92. 121. 122. 137. 138. 171. 172. 235. 236. 238—40. 273. 274. 315—18. 322. 341. 342. 376. 377. 407. 408. 424. 461. 462. 483. 484. 534. 615—18. 718. 719.

Lib. V. vv. 266. 337—339. 341. 469—482. 485. 486. 507. 508. 593. 594. 683. 684. 715. 716. 719. 720. 722. 727—32. 753. 754. 789.-790. 804. 809. 810. 818. 865. 867—71. 885—90. 897. 898. 900. 904. 921. 922. 938—41. 947. 948. 950. 952. 1012. 1017.

Lib. VI. vv. 11—14. 17—26. 55—58. 66. 99. 101. 102. 106. 109—18. 120. 131. 132. 231—234. 238. 297. 298. 329. 330. 371. 373—79. 528. 529. 545. 554. 555. 562. 564. 567. 572. 621. 665. 754—57.

Quamvis magnus inter antiquorum et Alberti versus discrimen extet, poetis tamen caeteris istius aetatis ut Iscano, Gualtero etc. non cedit, et quod illi elegantiores versus condere videntur, fastosis et sesquipedalibus verbis maxime tribuendum est, a quibus Albertus abhorret, qui plano — interdum nimis plano — sermone utitur. In proeliorum descriptione ruditas quaedam sermonis cum loquacitate et verbositate conjuncta, animus legentis ut relanguescat, efficit; quod Albertus ipse sensit:

„Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem,
Quamvis sit doctus et citharista bonus.
Vocibus instare non semper oportet eisdem:
Sternuntur, sternunt, millia multa cadunt.“

In arte metrica indulget genio saeculi sui saepis-

sime breves syllabas in arsi producenti, saepe quantitatem vi accentuum mutanti, ut

I, 721. Non reor afflictum pĕrtĕrrŭisse virum.
II, 115. Dicere cum volui, quam pērtĭnăx esset, oriri,
IV, 625. Surgit īrōnīā risumque colorat amarum.
V, 160. Luna ministeriis hȳmnĭdĭcātĭs adest.

Nonnullis locis „mi" corripitur et VI, 122 invenimus

O tĕ! redargutus ergo recede procul

elisionem ultimae litterae I, 110:

Fratribus occisis unus superstes erat.

Dativus et Ablativus Gerundii saepius corripiuntur, saepe etiam o finalis vocabulorum et Dativi et Ablativi secundae declinationis, quem correptionis usum noster excedere videtur I, 28

Argus erat. Fabricet, rex ait, Argŏ vocet.

Nonnulla praebemus exempla:

II, 655. Sanguine prīmŏ Phrȳgum qui rubefecit humum.
III, 41. Ne tua fata suae credas de cētĕrŏ dextrae.
III, 161. Sic quinto, sic et sexto, sic sēptĭmŏ, sicque
III, 167. Ad pausas a strage manus tunc prīmŏ vocatur
III, 188. An rŏgŏ urentur tempore quo, vel ubi
III, 793. Pelides pŏpulo de cētĕrŏ bella molestat.

Quantitate syllabarum in universum recte usus est, invenimus tamen falsas correptiones ut

II, 139. Runcĭna lambit aquas et ferri provocat iras
II, 464. Consilii coepere lĭbra trutinare, velintne
IV, 815. Plinius unus erat dĕcŏrus Scolpecius alter
V, 428. Basia dant dŏlăbris, jurgia dando labris
VI, 821. In sua victŏria conversus viscera ferro.

falsas productiones ut

III, 138. Cum cane custodit servus et āva domus.
V, 86. Pacifica lȳra per graviora gravant.

Loci III, 232. IV, 89. 137.

Isti quum dūos narret adesse deos.
Sed neque nox didicit nullam pārare quietem.
Pugnandi genus egregium pārare scienter

fortasse legendi sunt:

Isti quum divos narret adesse duos
Sed neque nox didicit nullam patrare quietem
Pugnandi genus egregium patrare scienter

quanquam codex manifeste istas falsas productiones praebet; locum I, 582

Paean oppidulo mārē lux stabat Apollo

sanare difficilius est, quod codex haec verba, quae vix intelligi possunt, prodit; emendationem igitur textus non ausi sumus, conjecturam tamen hic

Paean oppidulo manē lucebat Apollo

nostro Alberto duce in arsi brevem syllabam producente praebemus fortasse non accipiendam, quia „stabat" sequenti versu iteratum profundiorem sensum prodere videtur.

Homoeoteleuto jam usi sunt Romani et noster ut ceteri neoterici eo non abstinuit. Res quum nota sit, eam mittimus et exempla exscribere nolumus. Insigne hujus usus exemplum invenitur in carmine elegiaco „de excidio Trojae" quod Leyser (histor. poet. med. aevi p. 398) Hildeberto Turonensi episcopo, qui 1132 vel 1136 obiit, tribuit, quodque propter formam et materiam lectu non indignum calci hujus libri adjunximus. De universa re metrica neotericorum Lucianus Müllerus, qui egregie de illa egit, consulendus est.

Carmen praebemus ad hunc usque diem ineditum, cujus tantum duo fragmenta J. F. Heusingerus in libro Fl. Mallii Theodori de metris (Lugd. Batav. 1766) p. 114—117 publici juris fecerat, quae fragmenta ex Heusingero a Staverenio (in editione Cornelii Nepotis II, p. 385 sqq.), Wernsdorfio (poet. minor. Lat. T. IV, p. 596), Eberto (Ueberlieferungen Bd. I, p. 188), Schoenemanno (Merkwürdigkeiten I, p. 15 nr. 171), Lappenbergio (in praefatione annalium Alberti [Pertz monum. Germ. XVI, p. 272 sq.]), Dederichio (in Daretis editione Bonn 1835 praefat. p. V), Joly (in praefatione ad Benedictum) promulgata sunt. Reliqua praeter Heu-

TROILUS

MAGISTRI ALBERTI

ABBATIS SANCTAE MARIAE IN STADIO.

ACCESSUS IN TROILUM MAGISTRI ALBERTI.

In hoc opere sicut in qualibet re quaeruntur tria scilicet: quid, quale, quare, h. e. materia forma et causa. Materia diffinit quid sit res, forma qualis sit, et re posita et ejus qualitate expressa causam positionis statim exspectat animus auditoris. Materia hujus operis est Trojanum bellum, quae res ipsa mirandum efficit et famosum. Diffamat enim illud vel infamat fortium strenuitas, vel ut verius dicam fatuitas, pugnae crudelitas, occisorum numerositas, temporis diuturnitas, incendii immanitas, quae singula tanguntur in opere. Primum tangitur in II° libro, pugna III° libro:

Non erat haec pugna pavidorum, nam simul acres,
Fortes, audaces hic periisse vides;

pugnae crudelitas in V° libro:

Hic rabies, rancor, fremitus, violentia, livor,
Lis, odium, fervor, impetus, ira, furor.

Occisorum numerositas in fine libri tangitur, quorum numerus ab audientibus abhorretur, habes nempe

Millesies mille permixtim quinque trecenta
Et decies octo milia caesa puta.

Temporis diuturnitas in ultimo libro tangitur fere circa principium in allegatione Aeneae:

Jam bis quinta revolvitur aestas,
Quod patriam tota commoluere mala,
Et glacialis hiems aquilonibus asperat undas
Jam decies pugnae nec numerabo vices.

Incendii immanitas circa finem libri tangitur:

Gens victrix tandem Vulcano fulminat urbem,
Nemo tam latum vidit in orbe focum;

Flamma vorax ad celsa volans obnubilat astra
Longe reposita percutiendo loca.

Forma hujus belli et ejusdem belli veritas; quia auctor, postpositis omnibus figmentis, quae permultum depravant hanc historiam, Daretem sequitur qui Phrygius erat et ejusdem belli princeps, qui etiam idem descripsit proelium tenens omnino veritatem, unde habes circa finem libri:

Et Phrygius fuit iste Dares et tempore belli
Ipse quidem miles proelia visa refert.

Sunt autem narrationes impositae modo principum, modo militum, modo nunciorum vel etiam traditorum; quae res a veritate non discrepat, quia secundum causam recitationes easdem aut esse tales aut omnino similes oportebat. Tanguntur ea in tertio libro post pugnam septimam, quae duravit LXXX diebus continuis: sic:

Hanc quoque materiam figmenta poetica nebant,
Sicut Virgilius arma virumque canens;
Sed Phrygii tenet historiam liber iste Daretis,
Qui praeter verum scriptitat inde nihil:
Hunc sequor adjiciens interdum verba virorum
Qui vel loquebantur vel potuere loqui.
Ponatur, quod et hi non sint ea verba locuti,
Causae praesentis sunt tamen apta rei.

Habes materiam operis et formam. Causa est: prave strenuos a sua stultitia compescere et fortes suam fortitudinem non in pomposa jactantia, sicut hi miseri, sed in virtuosa constantia potius exercere; ut lector, habita consideratione, contra malum istius belli principium et pejus medium et pessimum ejus exitum vel discere studeat et docere, ut hoc praemunitus exemplo nemo se dissimulet ab hujus vanitatibus tentare. Non desiderio notificandi hoc bellum tale auctor studium assumsit, sed magis in rem contra suam, super tutela talium, quae ratione belli contigerant, stabilivit; ait enim ipse: „fas est et ab hoste doceri“ et hoc circa finem libri tangitur, ubi dicit:

Non propter Trojam Trojanum scribere bellum
Aut Phrygium coepi sollicitare stylum,
Sed ductus meliore via compescere pravos
Et servare dei vult in amore pios.
Grata medulla latet omni sub cortice rerum
Et nucleum celat arida testa bonum.
Nos docet Herodes sicut baptista Joannes
Erudit ille bonos, territat ille malos.

Teste etiam Aristotele malum non potest vitari nisi cognitum: malo siquidem cognito felix est qui declinat a malo et facit bonum et qui aliorum casum sibi constituit firmamentum. Horatius[1])

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum

et Virgilius [Georg. II, 490 sqq.]

Felix qui potuit rerum cognoscere causas;
Atque metus omnes et inexorabile fatum
Subjecit pedibus;

Unde et liber iste ethice sumitur, quia vitia reprehendens et ab his auditores absterrens ipsos ad virtutum exercitia cohortatur. Reprehendit enim in Pelia invidiam, in Paride et Helena petulantiam, in pugnantibus truculentiam, in Palamede ambitionem, in Hecuba dolositatem, in Aenea et sociis suis perfidiam et traditionem, in utroque exercitu iram, odium et furorem. Et ex hoc ethicae merito sumitur quod ratione praedicta morum est et bonorum operum instructius, et quod voce philosophi jucundum nihil est, nisi quod reficit varietas. Auctor idem opus sex distinctionibus variavit, tum pro eo ut auditorem brevitas instrueret facilius, cum pro eo ut idemtitas, quae rara est satieta, legendi taedium non inferret.

In fronte cujuslibet distinctionis generale posuit illius et illius proverbium teniore modo, quod eadem continet distinctio nobiliter impraegnatum. Etiam in capite libri quoddam proverbium Ovidii, quod specia-

1) Haec non apud Horatium, fortasse nostri sunt et imitatio Plautini dicti: Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit.

liter ad omnes scriptores pertinet, quasi quandam auream vittam constituit, quo et mens auctoris et efficacia totius operis elucessit; scribentem nempe ipse labor delectat et idem labor laborando minuitur, dum per crementum operis his, qui in alicujus rei studio laborant, magis ac magis ad fervorem studii provocatur. Siquidem Ovidius [Fast. I, 216]

Quo plus sunt potae plus sitiuntur aquae.

Et de accessu haec dicta sufficiant.

Titulus talis est: Incipit Troilus. Hic liber est dictus Troilus propter quandam similitudinem nominis modo competentem, ut Troilus quod Troicus, cum et ipse Troicus fuerit et Trojani regis seu Priami filius et fortia facta in eodem bello gesserit, vel ideo quod idem Troilus fratrum suorum minimus erat et ultimus, strenuus tamen, et hic liber quia de eadem materia est extremus, utilis tamen tali est nomine non incongrue appellatus teste Horatio [Ars poet. 58]

licuit semperque licebit
Signatum praesente nota producere nomen[1]).

Et ut facilius lector quaequae quaerit inveniat totum opus ante distinctiones per capitula declarat.

DE PROOEMIO.

Impetus ille sacer et cetera. Hoc prooemium praemittit auctor principali proposito excusans se super eo quod hexametro et pentametro processit metro, cum gesta fortium et bella scribi debeantur metro heroico ut docet Horatius in poetica (v. 73)

Res gestae regumque ducumque et fortia bella[2])
Quo scribi etc.

et hujus libri materia sit pugna virorum nobilium, fortium et magnatorum et tamen tali carmine non sit prolata; proposito siquidem quod invitus hanc materiam

---

1) Apud Horatium: procudere nummum. 2) Apud Horat. tristia b.

assumserit et subjungit: „certaque etc.“ haerebam tempore longo pendulus et dubius quo potius numero et metro res ea seu materia transiret, maxime cum quaelibet nova res propter invidos transeat difficulter et etiam propter alios auditores, unde Horatius [A. P. v. 274]

Legitimumque sonum digitis callemus et aure[1])

et paulo ante [v. 104. 105]

mala si mandata loqueris
Aut dormitabo, aut ridebo.

Et hoc quoque tangit auctor in proemio cum dicit: „et semper nova res tangit et invidos qui cuncta quae audiunt aut subsannant, aut supprimunt aut depravant: dicit nempe; livor iners etc. Deinde excusat se de metro sive pentametro dicens, quod tali pede merito scribi debeant tales miserias ita concludens:

gesta miserrima scribo
Et strages miseras etc.

1) noster: aures.

INCIPIT PROOEMIUM IN TROILUM MAGISTRI ALBERTI ABBATIS SANCTAE MARIAE IN STADIO, QUI POSTEA FACTUS EST FRATER MINOR [ibidem*].

Impetus ille sacer, qui vatum pectora nutrit,
Diversos studiis diversis occupat, et me
Materiam, quamvis invitus, traxit ad istam;
Certaque cum dederat animo sententia finem,
Hac ut ad incudem cum massa malleus iret,
Quo potius numero, cum tristia bella sonaret,
Res ea transiret, haerebam tempore longo
Pendulus et dubius; cum scriptor debeat omnis
Reddere personae sibi convenientia cuique,
Et semper nova res, theatrum quae primitus intrat,
Passu difficili callentes transeat aures.
Praetereo quod livor iners, laudabile quicquid
Aut videt aut audit, spumosis dentibus angit:
Cui, quo res melior, est iracundia major,
Et bona, quae reficit alios, hunc inficit esca.
Cedat, ad intuitum cuius corrumpitur aer,
Meque sinat Troilumque meum transire parumper.
Res gestae regumque ducumque ferocia facta
Quo scribi possent numero monstravit Homerus.
Scilicet heroico, dicetur forsitan; isti
Currere versiculi quia deberent pede tali,
Quodque per exiguos magnorum magna virorum
Proelia non deceat elegos scripsisse, probabunt.
Sane concedo, sed gesta miserrima scribo
Et strages miseras miserorum, qui misereri
Noluerant sibi nec aliis sed morte metebant

*) manus recentior. 7. e margine pro habebam. 18. Horatii sunt A. poet. v. 73. 21. Heus. quod.

Se misera misere, misero stimulante furore.
Per miseros igitur elegos hoc ducere carmen
Decrevi miserum, sortem miseratus eorum
De quibus hic legitur, miseri qui castra sequuntur.
Hac noster ratione stilus non debuit istas
Scribere nec debuit heroum carmine mortes,
Sed numeris sub disparibus lex metrica saltat,
Tamquam, de miseris haec est narratio, dicat.
[Troilus est Troilus Troiano principe natus
Et liber est Troilus ob Troica bella vocatus.]

QUID CONTINEAT PRIMUS LIBER.

Primus liber continet Peliae contra Jasonem invidiam, Jasonis pro vellere navigationem, Laomedontis necem, Hesionae deductionem et eiusdem ab Antenore repetitionem, Troiae munitionem, Alexandri in Graeciam profectionem, Helenae in Phrygiam adductionem, vindicem a Graecis machinationem, Agamemnonis in regem elevationem.

LIBER PRIMUS.

CAPITULA LIBRI PRIMI.

Primus ob invidiam Peliae cum nave venusta
Cholcon inaurato pro vellere Jasone portat,
Laomedon, navem qui Jasonis ante fugarat,
Herculis ense cadit, Troiae munitio surgit,

---

30. Pertz. misera. 35. 26. Hos duos uncis inclusos versus Heusing. non putat ab Alberto profectos esse: „Ut ita censeam, dicit, non eo solum adducor quod Alberti vena, quamvis et ipsa lutulenta fluat, tamen ea sunt indigni, sed etiam quod iidem versus in fine codicis repetuntur, et a grammatico, qui in accessu ad Troilum libri titulum explicavit, nulla eorum ratio est habita. E quibus omnibus pronum est suspicari, versiculos istos ab alio quodam confectos Albertoque esse suppositos.“ Alberto tribuimus hos versus, qui saepe et libenter gaudet logodaedalia, ut in praefatione docuimus. 2. Msc. Chonchon. 3. Msc. fugurat.

Hesionem Telamon deduxerat, hanc repetendo
Nil agit Antenor; ultorem se Paris offert,
Dissuadent aliqui, sed navigat ille, repertam
Deducens Helenam Troes laetantur, Atrides
Fratrem solatur, vindictam Graecia dictat,
Rex Agamemnon erit, ratibusque studetur et armis.

DE PROCESSU AUCTORIS.

Praemisso prooemio et descriptis primi libri capitulis auctor, praenotato competente proverbio, more scriptorum proponit et invocat ut rationabilius ad ordinem narrationis accedat; proponit cum posito secundum auctoritatem Ovidii quod delectamentum magis ac magis illiciat studiosum; statim subjecit quod tractare velit cum dicit: Taliter i. e. tali modo stilus meus idem studium meum ruit in arma vel bellum Troianae historiae. Ecce expressio mea quaerit recitationi demere falsa et promere i. e. scribere vera. Ecce expressio formae. Invocat cum subjungit: „Automedon *) verus et qui videt omnia Phoebus.“ Invocat Automedontem vel aurigam illum qui est currus Israel et auriga ejus, ideo adjungit verus; et illum Phoebum, cuius sunt oculi ut flamma ignis et penetrant usque ad divisionem speciei et animae et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus**). Propositione et invocatione facta statim secundum doctrinam Horatii ad eventum festinat et in medias res et narrationem inchoat dicens: „Crethei proles.“ Cretheus filius erat Aeoli, quem fabulantur deum ventorum, et Pelias iste Crethei erat filius et frater Aesonis et Pelopensibus imperabat, quam civitatem Pelops filius Tantali dicitur struxisse et ab ejus nomine sit vocata.

---

8. e margine, textus rasura illegibilis. *) Msc. Antomedon ut semper. **) Ep. ad Hebr. IV, 13.

AUCTOR PROPONIT.

Scribentem iuvat ipse labor minuitque laborem,
  Cumque suo crescens pectore fervet opus:
Taliter historiae Troianae demere falsa,
  Promere vera meus ivit in arma stilus.
Automedon verus, et qui videt omnia Phoebus
  Ut bene currat opus, sit, rogo, temo meus.

NARRATIO AUCTORIS.

Crethei proles Pelias Pelopensibus olim
  Imperat, illius Aeolus extat avus.
Frater erat Peliae vel non ignobilis Aeson,
  Jasonis iste pater, Graecia terra fuit.
Jason amabatur a cunctis, semper amorem
  Strennuitas socia dapsilitate dedit.
Vidit et invidit patruus tituloque pavescit,
  Hoc sceptrum regni crescere forsan ei,
Intendit iuvenem vita privare, nec illud
  Audet inire palam, fabricat erga dolum.
Colchos inaurata vervecis pelle refulget,
  Vellera, qui rapiet, dignus honore foret.
Pensat eo rex Aesonidem hac mittere mente,
  Forte petens laudem proferet ille necem.
„Si quis", ait, „mihi retulerit cum pelle triumphum,
  Quae vult poscat et haec, me tribuente, ferat."
Hoc calet edicto mens Jasonis, aemula laudis,
  Jam facit in variis fortia facta locis,
Veraque non parvas animo dat gloria vires,

---

1. 2. Ovidii sunt Pont. III, 9, 21. 22, ubi tamen Scribentem juvat ipse favor, minuitque etc. 5. Margo: Invocat. 7. Margo: Aeolus deus ventorum

Cretheus suus filius

Pelias et Aeson fratres

Jason filius.

18. e margine pro pellere. 19. Aesonid. superscriptum: Jasonem.

Et foecunda facit pectora laudis amor.
Ibo, refert, dentur socii navisque paretur,
Argus erat. Fabricet, rex ait, Argo vocet.

JASON NAVIGAT PRO VELLERE AUREO.

Rumores hinc inde volant de Jasone; Jason,
Ut vellus rapiat, Colchon adire parat.
Exsurgit navis pulcherrima, velleque totum
Militis, ut fieret valde venusta, fuit.
Graecia laeta favet, applaudit turba, juventus
Ciliciae ducit gaudia, spondet opem.
Jason adhortatur socios, ut quando vocari
Illos contingat, quisque paratus eat.
Navis perficitur, annus finitur et ecce
Illi laetanter aggrediuntur iter.
Imprimit his Pelias constantes esse, virili
Pectore propositum continuare suum,
„Pendet in hoc opere nostri fiducia, fama
Vestri, Grajugenae gloria gentis", ait.

JASON DEPELLITUR CUM SUIS.

Attingunt Phrygiam, Simois flavit obvius illis,
Mens fuit, ut portus eligerentur ibi.
Ancora projicitur, saliunt in litora laeti,
Miratur se rem terra videre novam.
Laomedonteas ascendit rumor in aures,
Mirandam Phrygibus applicuisse ratem,
Addicitur, populis quod plena sit et quia fortes
Sint simul et juvenes, quosque stupere vides.
Rex: „Phrygibus cedet in magna pericula, si mos
Hic increbuerit, qui modo coepit", ait,
„Scilicet ut iuvenes, qui nutrit Graecia, discant
Talibus in nostrum navibus ire solum".
Iratus mittit ad portum dicere Graecis:
Vos jubet ex regno rex properare suo.
Cedunt, Colchon eunt, nec adepta pelle quiescunt,
Navem conscendunt, propria tecta petunt.

57. Msc. credunt.

TANGIT QUANDAM FABULAM.

Vipereos dentes in humum pro semine iactos,
Et subito natos arma tulisse viros:
Terrigenas populos, civili Marte peremptos,
Ense qui strictas conseruere manus,
Medeae studio, credat Iudeus Apella;
Non ego ficta quidem, non ea facta scio.
Sed si Medeae rapuit tutamine pellem
Vel propriis tantum viribus, ipse sciat.
Hanc rapuit sed, ea quocunque sub omine rapta,
Cum praeda rediit protinus ille sua.

LAOMEDON CUM MULTIS OCCIDITUR.

Acriter Herculeam succendit laesio mentem
Pridie cum socio Jasone facta viro,
Quando suis hos Laomedon effudit ab oris
Pellens advectam non sine pace ratem.
Heros incendit, ut rem declaret amicis,
Quos putat obprobriis condoluisse suis.
Aggreditur properanter eos ubicunque morantur
Exponens animi fervida vota sui.
Spartam pervenit, Pollux et Castor eidem
Se praebent et opus auxiliare vovent.
Ad Phtias convertit iter, Peleumque requirit,
Qui miles validam spondet et ipse manum.
Fecit, et hinc navi venit etiam in Salaminam
Hoc ad propositum sollicitare virum.
Inde Pylum tendit pro Nestore, Nestor in illo
Magnae commendat strenuitatis opus,
Auxilium totis promittit viribus; ille
Ad sua tecta redit propositumque premit.
Praeparat atque rates ter quinas, praeparat arma

59—61. Ovid. Heroid. IV, 33—5. 62. Ovid. Her. XII, 100 Inter se strictas conseruere manus. 71. Msc. horis. 72. Margo: quia pacifici venerant tamen pro pelle ituri. 79. Msc. Phitias. Margo. patrem Achillis. 80. Msc. Cui. 81. Margo: ubi manebat Telamon.

Praeparat armandos et genus omne cibi.
Illico militia se colligit ista, juventus
Florida diverso robore, mente pari.
In naves electa cohors se prompta receptat,
In Phrygiam properat, applicuisse iuvat.
Cum Peleo Telamon saluit in litora, sicque
Alcmenae soboles; surgit ad astra canor.
Sed Castor Polluxque manent cum Nestore, nolunt
Incustoditas deseruisse naves.
Fert iterum [rumor] hic Laomedontis in aulam:
Est in Sigaeo classis Archiva solo.
Ad mare rex exit, quem copia cingit equestris,
Argolicos regni pellere fine sui.
Sed medio iuvenes impugnant tempore Trojam,
Rex, ubi scit pugna quae sit suborta, redit.
Occurrunt Graeci, rex Herculis ense peremptus
Occidit, et Telamon Pergama primo subit,
Cui mox in pretium virtutis strenuus heros
Hesyonem [natam] Laomedonte dedit.
Nec solus rex interiit, cum rege profecti
Regales pueri comperimuntur ibi.
In Phrygiam Priamus fuerat cum milite missus,
Fratribus occisis unus superstes erat.
Amphitrione satus et Graeca iuventa ferentes
Non modicam praedam repariare student,
Hesyonem Telamon secum deduxit, et omnes
Victrices referunt in sua castra manus.
Res raptas, patris interitum, captamque sororem
Ut Priamus discit, corda dolore quatit;
Ilion ingreditur, et conjux Hecuba, nati
Et natae moesto pectore, mente gravi.
Hector Alexander primi sunt, Deiphobusque,
Tertius est Helenus, quartus et hic Troilus
Filius; Andromache, Cassandra, Polyxena natae,
Has laudat facies strenuitasque mares.

---

94. Margo. Hercules. 97. [Rumor] e margine. 119. Deiphebus ut plurimum.

Perspicit et Troiam rex munit, moenia lapsa
Erigit et muros amplificando trahit;
Constructis portis imponit nomina, supplet
Amnem neglectum, firmat ubique locum,
Ex muro turres et propugnacula surgunt,
Firma virtute Pergama stare vides.
Non sunt munita, sunt munitissima, possent
Inter praeclara nomen habere loca.
Regia surgit ibi sublimibus alta columnis,
Hic sibi culturam vindicat ara Jovis.
Versus Paeoniam fortes adscire Quirites
Ad patris imperium dirigit Hector iter.

DIVERSI LUDI MILITIAE EXERCENTUR.

Urbe reformata nunc rex et tota refortat
Regni praesidia, litus arasse putat.
Pergama militiae non solum flore coronat
Immo replet Priamus, milite tota viget.
Regalis vario laetatur curia ludo,
In quavis audis carmina laeta domo.
Ne tamen ignavum consumant otia corpus
Militiam recolunt, fortia multa gerunt;
Segnities causam dederat quia, proditionem
Hesyonae decoris, Laomedontis opus.
Tota recognovit hic moenia, desidiosi
Quae pridem tanti causa fuere mali.
Desidis aurigae non audit verbera currus,
Displicet ergo duci desidiosa sequi;
Nec manus agnoscit, quem non exercuit, arcum
Tyro frequenter ob hoc mittit ad arma manum.

ANTENOR MITTITUR PRO HESYONE.

Rex videt ut regni stabilita negotia, mentem
Colligit et proprii cordis in arva redit;

---

147. Claudian. de consul. Mallii Theodori v. 187. 149. e Claudian. de cons. Mall. Theod. v. 188.

In speculo mentis captam videt ille sororem
Et fratrum parîter interitumque patris.
Colligit introrsus res raptas, moenia fracta,
Seque dolorosa sustinuisse probra.
Opportuna tamen rex nactus tempora; „pensa,
Oh, ait, Antenor; quae tibi verba loquor:
Optime vir nosti; quae, quanta calumnia nobis
Lata sit a Graecis. Intumuere minis,
Non suffecit eis, nostros attingere fines
Magna cum populis applicuisse rate.
Dixi; cum populis deberem dicere pompis,
Magna debueram dicere magnanima.
Denique magnanimo calcarunt, immo superbo
Mox ut venere, litora nostra pede;
Insuper insultum fecere minaciter urbi;
Inconsuetus erat talia probra pati.
Et ne concepta quod ab impietate deesset,
Ferrum strinxerunt in patris ora mei.
Mortuus est, et tunc in moenia nostra ruentes
Innumeram praedam non sine caede patrant,
Captivando meam secum duxere sororem,
Tum quum se patriae restituere suae.
Irasci merito deberem talibus, immo
Debeo, conticuit nostra querela diu.
Ulciscar vero, sed dissimulare valebo
Cetera, si sola conditione fruar:
Reddatur captiva soror, sint altera pacis;
Si minus, hostiles protinus adde minas.
Antenor! tua dicit idoneitas, quod ad istas
Suscipias operas, ergo paratus eas.“
Antenor parendo parat conscendere navem,
Velificans Graecum contigit ille solum.
Pergit Magnesiam, Peleumque salutat, ibi tres
Hortatu Pelei continuando dies.
Inchoat Antenor causam recitare laboris
Et quod ob Hesyonem ceperit ipsa viam.

168. Margo: incons. nempe pater.

Addidit et vultum verbis, iterumque rogavit,
Iret ut ad patrios rapta puella deos.
Auscultans Peleus levipendit verba loquentis,
Et sermone brevi coepit et ipse loqui.
Quid super Hesyonae nunc redditione solutae,
Haec est in nostro pectore cura minor.
In patriam petere, nostrasque relinquere sedes,
Dicere, quod cessit ista querela, potes.
Est tellus et dicta Boetia, quae Salaminam
Continet; Antenor hanc et adire studet.
Hic Telamonis erat habitatio, quaerit eundem;
Invenit; invento sic querulosus ait:
O Telamon! reor esse nefas, quod filia regis
Hac quasi captiva detineatur humo.
O Telamon! regi spoliatam redde sororem,
Dedecus hoc spolium dissimulare ducem.
O Telamon! iuste reddendam redde puellam,
Non est iniusta praeda tenenda tibi.
Extemplo miles respondit ad istud et istis:
Esset ad hoc, o vir! obticuisse pudor.
Antenor! quia filia regis habetur apud nos,
Ut pote victores, non reor esse nefas.
Antenor! si dissimulet rex, necne puellam
Pro virtute mea reddere nolo datam.
Antenor! iuste praedatam praedo tenebit;
Tam bona constanter praeda tenenda fuit.
Ergo redi; rediens de finibus exue nostris;
Non habet effectum, quod geris; ergo redi.
Quaerit Pollucem cum Castore: deinque precatur
Hesyonem reddi proficiendo nihil.
Ut rapta taceamus, ait, de virgine; nostra
Oppida fregistis, diripuistis opes,
Causam non habuit injuria tanta, puellam
Reddite, rex reliqua, sint quasi nulla, silet.
I procul, i, dicunt; non est tibi tibia tanti,

---

217. Msc. perperam Nestore, quum Antenor v. 233 sqq. Nestorem aggreditur. Dares recte habet Castor.

Debeat ut tali virgo decora dari;
Facta quidem vobis non est iniuria, primum
Prodiit a vestro Laomedonte scelus.
Venimus in pace, repulit nos dedecorosa
Nostros intendens exagitare fuga.
Siste gradum; non est, quod fers in pectore, gratum;
Propositi, rediens, contrahe vela tui.
Nil credens actum, tum quid superesset agendum
Antenor differt velificare domum.
Nestoris aggreditur habitacula; nuncius, inquit,
Ad vestros veni velificando lares.
Supplicat Hesyonem rex reddi, damna tacendo
Vult reprimi, pudor est ulteriora loqui.
Hac vice de praeda, de regis morte tacemus,
Est grave quod doleat commemorare diu.
Omnia, rex dicit, quae sunt illata probrose
Si fuerit virgo reddita, pacis erunt.
Ha! nimis est, quod, amice, petis! moderatius opta;
Sit domus Hesyonae Grecia, Nestor ait.
Dic tamen interea, quum te fiducia nostris
Appulerit laribus, pacifici ne sumus?
Ulteriora loqui pudor est tibi, dic age, magno
Absque rubore loqui nunc mala nostra queo.
Nescis, quae fuerit illata calumnia Graecis
Iam tum pacificis in Simoentis aquis?
Numquid es oblitus quod Graecam rex tuus olim
Ex Phrygia jussit ocius ire ratem?
Excidit ex animo tibi, quomodo tam subito nos
Cedendo quondam sustinuisse fugam?
Cedas, ne nostram tua mordeat ancora terram
Ferrea, res Phrygias Graeca refutat humus.
Rex tuus est Priamus, gaudet quoque Graecia rege,
An nescis longas regibus esse manus?

---

226. Msc. nostro. 241. Ov. e. Pont. I, 8, 71. Ah nimium est, quod, amice, petis! moderatius opta: 254. Msc. repetit anchora, sine sensu, pro qua scripsimus: ferrea. 256. Ovidii est Heroid. XVII, 166.

ANTENOR REDIT AD TROIAM.

Antenor sine fruge videns se semina ferre,
  Ocius ad Phrygios vela reflexit agros;
Enarrat Priamo, quid dixerit ille, quid ille,
  Quodque dedit variis irrita vela nothis.
O rex, adiecit, galeatis pungere verbis
  Non timuere tuos et terebrare minis.
Quid recitare velim, quod in omni fine loquendi
  Acriter a foribus me repulere suis.
Ulcisci certe probra talia consulerem, si
  Essem consilii pars aliquanta tui.
Litora pompose tetigerunt nostra, potenti
  Protinus in terram prosiluere pede.
Irrumpere fores violenter in urbis, ibique
  Et res et nostras diripuere domos;
Occidere patrem crudeliter atque sororem,
  Turpiter huc usque detinuere tuam.
Ludunt, subsannant imbelles et sine ferro
  Esse ferunt omnes improperando Phryges.
Graecia ni fuerit Phrygios experta lacertos
  Plus, quam senserimus, experiemur eos.
Haec ego; si quis habet aliud sub pectore clausum,
  Proferat; ut digna res ea forte cadat.

DUCES CONVOCANTUR AUDIRE ANTENOREM.

Continuo Priamus vocat in commune Quirites
  Ut super his verbum possit habere ratum.
Hector adest fratresque sui vel qui generati
  Ex illegitima sorte fuere duci.
Anchises, Anchisiades aliique barones
  Adveniunt, quibus est mens, valitudo, fides.
Scitis, ait Priamus, quibus istam Graecia probris
  Affecit patriam, nos tribulando palam.
Dum memini, meminisse pudet paterna rapina,
  Est pater occisus, capta tenella soror.

---

265. Msc. certa. 269. e margine pro vilenter. 283. Msc. Anchidiades.

Iverat Antenor, ut nostras ipse querelas
Ederet et pacem reddita virgo daret.
Profecit minime, nihil impetravit eorum,
Pro quibus ad Graeca litora missus erat;
Amplior accessit iniuria, dedecorose,
Antenor! domibus te repulere suis.
Una doloris adhuc non est obducta cicatrix,
Cordis adhuc laesi vulnera cruda manent.
Dicatis proceres, quidnam super his sit agendum;
Dico, merebuntur si mea dicta fidem,
Obstandum citius, sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.
Mutaremus opus, ad nulla valet bona tardus;
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.
Consulit Antenor, ierat qui nuncius illo
Ulcisci facinus strennuitate manus.
Et, vos indecores nisi vivere forte velitis,
Consilium super his vos quoque tale datis.
Nonne mori melius, quam vitam ducere mortis
Et sensus membris insepelire suis.
Pone necesse mori; mors ultima linea rerum
Non metuenda viris, mors mihi tempus iners.
Multos consumsit ignavia, semper inertes
Damni participes dedecorisque manent.
Ergo, viri fortes! strictum producite ferrum,
Ferro nunc Phrygiam magnificate manum.
Hic labor ut merita tangat vindicta Pelasgos,
Discant insolitum nostra per arma iugum.
Hector! tu maior es natu, sume laborem
Hujus propositi, laetus in arma veni.

---

299. 300. Ovidii Remed. 91, 92 qui tamen: „principiis obsta“, et „convaluere“ habet. 302. Ovid. Remed. 94. 307. 8. Maximian I, 265 sq.

Morte mori melius, quam vitam etc.
Et sensus membris insepelire suis.

309. Horat. epist. I, 16, 79. 310. Ov. e. Pont. I, 5, 44 — — mors nobis tempus habetur iners. 313. e margine pro proucite.

Laetus in arma veni nec lentus, semper in istis,
Si bene te novi, mens erat apta tibi.
Quod tua te virtus iuvet et sapientia, credo
Turpe nec est tali credulitate capi.
Saepius expertum facit experientia certum,
Ad causas notas est dubitare nefas.
Laetus, ait, veniam; nec me labor ille gravabit,
Maior ab occiso mens mihi crescit avo.
Provocat Hesyone, praedae violentia, strages,
Multaque quae nostri sustinuere Phryges.
Si placet, ibo; licet mihi nec prudentia mentis
Nec mihi sit virtus corporis, ibo tamen.
Quae potero faciam, sed praemeditatio rerum
Saepe bono causam claudere fine solet.
Principium finemque rei prudentia spectat
Qui nimis est tutus retia jure subit.
Non est ignota res: est sapientia Graecis,
Consiliis inhiant, ense manuque valent
Protinus ut nostrum movet illis dextera bellum,
Non puto quin plures auxilientur eis;
Vicinos aliosque duces populosque ciebunt
Occurrunt nobis hi velut unda maris.
Adde, quod inbellis pro dissuetudine belli
Extat adhuc Asia, desidiosa quasi;
Non sic Europa; semper sudavit in armis;
Bellica nimirum brachia bella sciunt.
Hinc Graecis valida sunt arma, probatio, multa
Classis eis, nobis inclita nulla ratis.
At licet eximias protendat Graecia vires,
Ibo, quo si tu me pater ire jubes.

---

322. Ovidii est ex Pont. I, 1, 44. 325. ultima versus pars est Virgil. Aen. II, 708. 331. 32. Alanus. Anticlaud. Lib. II (p. 24) lin. 8 ab infra: finisque beati Gratia principiis semper respondet honestis. 333. Pamphil. XVII, 7 Principium; finemque simul providentia spectat. 334. Anonym. Nevel. p. 501. lin. 2. 339. manus antiqua in margine per „citabunt“ explicat.

PARIS DICIT SE ITURUM IN GRAECIAM.

Surgit Alexander; opus hoc laetanter adire
Pro patris et patriae, diicit, amore volo.
Idaeos lepores quondam venabar in Ida,
Deposui somno membra volente thoro.
Somnio mirificum dare, quae speciosior esset,
Iudicium, mihi tres exhibuisse deas;
Una fuit Pallas, Venus altera, tertia Iuno;
Ambiguus, cui laus ista daretur, eram.
In specie mulier plus gaudet quam probitate,
Mentum non mentem femina pulchra colit.
Delectant etiam castas praeconia formae,
Pessima sit, nulli non sua forma placet.
Hinc Venus haec ad me: quae sim speciosior ede,
Efficiamque tibi dulcia dona dari.
Graecia formosis est deliciosa puellis;
Elige, cui dicas, tu mihi sola places.
Hac ego te faciam, Paris, ad tua vota potiri,
Si detur species plus speciosa mihi.
Quis tantae promissa deae contemnere posset?
Prona venit cupidis in sua vota fides.
Est Pallas speciosa, loquor, speciosaque Iuno
Plus tamen ambabus est speciosa Venus.
Hoc impromisso confisus alacriter ibo
Forte mei voti post modo compos ero.
Grata superveniet quae non sperabitur hora;
Quo minimum credis gurgite, piscis erit.
Dedecus ultori dabitur mihi forte triumphus,
Tantum maturet bellica classis opus.

---

358. e margine pro metum. 359. Ovidii est Ars Amat. I, 623. 360. e margine, pro „nec". 368. Ovid. Ars Am. III, 674. 373. est Horatii Epid. I, 4, 14. 374. est Ovidii Ars Amat. III, 426, qui tamen „minime" legit. 375. Sensus: dedecus quod infero Graecis, mihi ultori raptae Hesyonae tanquam triumphus erit.

QUIDAM SUADENT, QUIDAM NON ITER PARIDIS.

Deiphobus pridem commendans inquit: ad ista
Effectum Paridi consulo vota dari.
Ipse sit in causa vexillifer, ipse magister
Causae, dent operam, quos vocat, hanc et opem.
Non placet haec Heleno sententia: res ea secum
Si peragatur, ait, maxima damna trahit.
Si Paris ex Graecis uxorem duxerit oris,
Excidium Troiae ducet et omne malum.
Graeca manus tota ruet in Phrygiam, nisi tritis
Omnibus ad terras irreditura suas.
At Troilus natu minimus; non viribus impar,
Mente nec inferior Hectore fatur ita:
Detur Alexandro laus, detur Deiphobo, qui
Laudes ingenio promeruere suo.
Unus ad hoc bellum se praebet, et approbat alter,
Non caret effectu quod voluere duo.
Non debet res in Heleni subsistere verbo,
Deterret, saepe terror honore caret.
Degeneres trepidant animi pejoraque versant,
Dat mare saepe metus, nulla pericla tamen.
Desperare nocet, dubium dimitte timorem:
Saepe facit metui non metuenda metus.
Ut verbo stent multa brevi, timor ipse malorum
Saepe supervacuos cogit habere metus.
Aggrediamur opus, nihil impenetrabile forti;
Audentes legimus quod iuvat ipse deus.
Classibus ut factis pulsetur Graecia, manda

---

380. dant. 384. e margine pro „trone". 392. Ovid. Amor. II, 3, 16. 395. Lucan. Phars. IV, 90 est, ex quo posuimus: „trep. anim" pro an. trep. 396. Pamphilus. XLI, v. 6. 397. Ex margine, cod. veparare cfr. Pamphil. XXXV, 3.
desperare nocet, votum labor improbus implet.
398. Anon. Nevel. p. 506. lin. 7 ab infra. 399. 400. Ovidii sunt ex Pont. II, 7, 5. 6. 401. Alan. Anticlaud. Lib. II, p. 25. lin. 21.
Aggrediamur opus: melior fortuna sequetur.
402. Virg. Aen. X, 284.

Rex! decet ut, vires experiare tuas.
Ilico rex pro militibus non segniter ire
Paeoniam Paridem Deiphobumque jubet.

DUCIBUS RECITANTUR GESTA ANTENORIS.

Ut fieret rerum collatio digna, citati
In coetum veniunt rege iubente duces.
Subjectos natu majoribus esse minores
Mandat; honestatis fert, ait, illa liber
Importuna minor non sentiat —, ambo superbos
Solertes studeant exiliare modos:
Iungat amicitia socios, consumat honestus
Et bene dulcis amor in paritate pares.
Qui positus fuerit capitaneus omnibus, una
In commune bonus sit socialis herus.
Primus iussa ferat; tunc observantior aequi
Fit populus, populo grata parata manus.
Dapsilitas etiam regi praeclara monebat
Nomina, si sua dat xenia mente cito;
Denigrat meritum dantis mora, factaque raptim
Omnia plus laudis plusque favoris habent.
Exhibeat, quicunque regit, documenta favoris;
Nil valet hic terror, plus optatus amor.
Qui terret, plus ipse timet; sors ista tyrannis
Convenit, in sociis absit ut ista, sonent.
Agnus in hospitiis et sit leo miles in armis,
Nunquam virtutes intonet ipse suas.
O proceres scitis quod sit sine vindice longo
A Graecis trita patria nostra probro.
Antenor quaesivit ab his transmissus et a me,
Vellent emenda si variare probra.
Hic, velut a nobis acceperat, arguit Argos
Expositis spoliis interituque patris;

---

417. Claudiani est ad IV cons. Honor. 296. 97. 419. ex margine, cod. manebat. 420. ex margine, pro „ximia mente“. 430. e margine pro codicis t'ra. 432. emenda. satisfactio, differt a mulcta, quae judici, emend. parti laesae datur.

Moenia non tacuit irrumpta virosque peremtos,
Et reddatur, ait, rapta puella mihi.
Obrivat precibus aures, retinentque sororem
Cetera cum facerent hac redeunte locum.
Immo remiserunt inhonorum, propter honoris
Qui fuit et pacis nuncia missus eis.
Turpia quae tulerit convicia dicere nolo,
Et quod de foribus hunc repulere suis.
Dicas, Antenor! tua fine negotia quali
Clauseris, ut constet omnibus iste stilus.
Incipit Antenor quaedam recitare, per illa
Iam dudum fuerant quae sibi facta loca.
Indicit Hesynem quod nollent reddere, demum
In medium veniunt probra, repulsa, minae.
Subjicit hortando, ut se robusta iuventas
Vindicet et Graecos Troja mucrone domus

PANTHUS DISSUADET RAPTUM HELENE.

Panthus cui genitor Euphorbius agmine facto
In medio coepit agminis ista loqui.
Sic memini dixisse patrem, nam plurima novit
Denique praedixit saepe futura mihi.
Utile consilium non aestimo, si mulierem
Graecorum ducat e regione Paris.
Si res effectu claudetur, Troja peribit,
Quam modo terra tenet, pascua bubus erit.
Otia sectari pulchrum magis aestimo liber,
Quam se servitio mota per arma darer.
Tutius est iacuisse thoro, tenuisse choream
Treiciam digitis increpuisse lyram,
Quam manibus clipeos et acutae cuspidis hastam
Et galeam pressa sustinuisse coma.

---

437. obrivat ex margine pro codicis: obbtrat. 438. Marg. hac redeunte locum non bellum. pro hac redeunde loc. 441. e margine pro conjuria. 449. Msc. Hortando subjicit. 451. Euphorbus, quem noster Euphorbius nominat non pater sed filius Panthi fuit. 460. e margine pro si. 461—64. Ovidii herod. III, 117—120 deprompti.

Hic mera libertas, hic vera pericula; quare,
Quam fieri servus, otia malo sequi.
Libertas per dulce bonum bona cetera condit,
Qua, qui dives erit, ditior esse nequit.

PRIAMUS PANTHUM REPREHENDIT.

At Priamus bello gaudet constanter et urget
Propositum mentis enucleatque suum.
Non, ait, in mente constanti tela timoris
Fabricat, in fragili bubo propheta mali.
Nos istum vatem, nos vanum spernimus omne,
Solius est proprium scire futura dei.
Saepe fatigamur in multis, saepe molesta
Sustinet a Graecis Troja remissa minis.
Exacuat vindicta manus, constanter in illa
Perstemus, quam iam coepimus ire viam.
Turpe referre pedem, nec passu stare tenaci,
Turpe semel tactum postposuisse locum.
Aut nunquam tentes aut perfice. Nonne loquentur,
Troica Graecorum transeat hasta jecur.
Audit et hoc audet ausumque sonoribus auget,
Et ducis edicto Troja parata favet.
Tolle moras, aiunt, nocuit differre paratis;
Dimidium facti qui bene coepit, habet.
Decreti trahe vela tui, peribimus omnes,
Offert se voto patria tota tuo.
Grates rex peragit et coetum concio solvit.
Insistunt operi, fit mora nulla fabri.
Procumbunt piceae, sonat icta securibus ilex,
Corni sternuntur fraxineaeque trabes.

---

465. e margine pro misera. 467. Anon. Nevel. p. 525, v. 9. 468. Anon. Nevel. p. 525 v. 12. 474. Pamphil. XXXV, 2. 479. Ovidii est ex Pont. II, 6, 21. 480. Imitatio Ovid. ibid. v. 22 Turpe laborantem deseruisse ratem. 481. Similis Ovid. Ars Am. I, 389

Aut non tentaris, aut perfice.

485. Lucan. I, 281. 486. Hor. Ep. I, 2, 40. dimid. qui coepit habet. 491. 92. Virgilii imitatio Aen. VI. 180. 181.

Naves aedificant crebrisque bipennibus instant,
Horis ut brevibus acceleretur opus.

HECTOR MITTITUR A TROJANIS PRO JUVAMINE.

Mittitur interea robustus, colligat, Hector,
Ut circumposita de regione viros,
Indicit tempus, quivis ut ad arma paratus
Tempore sit tali bellica signa sequi.
Bellum Cassandra nitens cassare futurum
Inde sed incassum promit et ipsa malum.
Si Phrygias, ait illa, rates bellando Pelasgos
Senserit, haec nobis ultio casus erit.
Convenit ad nostros modus et prudentia sensus,
Nam provisa minus tela nocere solent.
Quid rogo laudis eius; mulier formosa superne
Sed male formato claudicat illa pede.
Non omnes capiunt qui captant, saepe videmus
Ex inopinato plaustra perire rotis.
Quid contra Danaos suades committere bellum?
Consilium sequitur Troja, ruina, malum.
Saepe mari missus, ut pisces aufferat, hamus
Perditur et salvis piscibus esca datur.

NAVES INTEREA PERFICIUNTUR.

In tanto rerum strepitu mundique fragore
Tempora praetereunt more fluentis aquae.
Perficitur classis, redita rate lassa bipennis
Est utensilibus quaeque repleta ratis.
Sentinas onerant collata cibaria, jamque
Aequoris insuetas ancora lambit aquas.

---

493. Virgilii est Aen. II, 627. 500. in marg. quia non audierunt eam. 503. Pamphil. LXIII, 5.
Convenit ad vestros modus et moderantia sensus.
505. vid. Hor. A. P. 4. 506. Ov. Am. II, 16, 20.
Turpiter obliquo claudicet illa pede.
510. Anon. Nevel. p. 505, 18, habet
Consilium sequitur certa ruina malum.
514. Ov. Ars Am., III, 62. — eunt anni more fluentis aquae.

Augebat numerum dulcis mixtura virorum,
Qui de Paeonicis introiere locis,
Et per Alexandrum sunt Deiphobumque vocati
Consilii prompti, strenuitate probi.
Totus ad arma volat exercitus, arma vetusta
Furfurat, ut niteant; in dumisque probat.
Omnibus una quies, operum labor omnibus unus,
Dedecus ulcisci, vincere sive mori.
Rex Paridem praefecit eis dixitque: sororem,
Litus ut attigeris, primo require meam.
Tolle requisitam, si reddunt, adjice facta
In nos obprobria, si variare velint.
Si variare volunt et restaurare puellam
Caetera sustineo, pacis amator ero.
Si minus, hoc nostrae referat cito nuntius auri,
Mittam cum ratibus arma virosque tibi.
Dat Paridi Priamus Aeneam Pygmalionem
Consortes coeptae Deiphobumque viae.
Grata fit aura freto, subducitur ancora fundo
Nat navis in pelago vela vehente notho.
Nauta gubernat iter Antenoris, ille marinas
Noverat ex usu velificare vias.

HIC PARIS VENIT AD PORTUM.

Nondum contigerant Cytheram, sic insula dicta
Est, et nomen ab: o, o Cytherea tenet.
Occurrit Paridi Menelaus, spectat euntem,
Miratur, cui sit deliciosa, ratem.
Oblique se respiciunt nec neuter eorum
Est alii nisus mutua verba loqui

519. Maximian I, 29
Angebat meritum dulcis mixtura bonorum.
525. Maxim. VI, 5
Omnibus est eadem leti via; non tamen unus
Est vitae cunctis exiliique modis.
538. cod. vola. 542. Cod. nomen ab o chiarea tenes. Marg.: o chitarea Venus. 544. euntem ex margine pro codicis „eundem“ recte enim margo „euntem et non subsistentem“.

Ire Pylum voluit Menelaus ibique potiri
Nestoris alloquio, forsan amabat eum.
Pollux et Castor ierant simul ad Clytemnestram,
Complacet, ut neptis concomitetur eis
Scilicet Hermione. Festiva dies erat Argis;
Debeat tali tempore Iuno coli.
Contingit Cytheram sed et hic nunc rore sacrorum
Iam dederant celebrem festa suborta diem.
Fana colebantur haec, hic sua dona Dianae
Solvebat populus, cui sociata Venus.
Vota suos habuere deos, devenit ibidem
Tunc Paris optata sorte trahente ratem.

FAMA VOLAT QUOD PARIS VENIT.

Fama volat, quid enim fama velocius extat,
Prolibus ornata regia classis adest.
Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsae
De domibus dominae, concrepuere lyrae.
Splendeat ut Liber, lateque refulgeat aurum
Ornat se vestis ambitione Paris,
Surgit et ad templum graditur quasi pavo, Dianae
Votum persolvit dignaque dona gerit.
Quaeritur interea, quis sit? cur venerit? unde
Venerit et quorsum forsan abire velit?
Filius est Priami regis, mandataque patris
Venit in his, aiunt, ferre, referre locis.
Pollux et Castor hi sunt, si quaeritis, advos
Pauca loqui quibus hic vult et abire domum.
Rumores tangunt Helenam, silet illa parumper;
Hic erat, huc festus traxerat usus eam.
Audierat quam pulcher erat; speciemque videre
Non impune tamen nititur illa viri.

---

550. margine Clyt. sororem suam. 552. marg. filia Helenae. 554. margo. Chiteram in insulam sic dictum. 560. Allusio Virg. Aen. IV, 174. Fama, malum quo non aliud velocius ullum. 562. Ovid. Ars Am. I, 99. 564. cod. spendeat. 572. advos. antiquior pro advors, adversus; hostis, hospes. 575. festa.

Revera vir pulcher erat, iam prima tenellis
Lanugo cepit infruticare pilis
Signabat roseas facies, nivis aemula, malas;
Haec etiam castas sollicitare solent.

HELENA PROPTER PARIDEM FINGIT ADIRE FANUM.

Paean oppidulo mare lux stabat Apollo,
Stabat fatidico iuncta Diana deo.
Huc Ledaea, quasi tendens ad Apollinis aram
Se movet, aequorea littora iamque tenet.
Causa sed est alia, iuvenem spectare volebat,
Huius ad intuitum pendula tota fuit.
Fanum, pro casu quasi quaesitura futuro,
Intrat, procumbit votaque sancta facit.
Gaudet Alexander gaudet quoque pulchra Lacaena;
Iam foret in foribus, exsuperare ratus.
Exilit e nave, conscendit eamque videre
Appetit, inque locum, quo fuit illa, petit.
Spem multam concedit ei fiducia formae,
Vultus eius quasi sint lilia nupta rosis.
Ambulat et claro sese diffundit amictu
Et, quacunque potest arte placere, placet.
Haec laudat juvenem claudens sub pectore laudem
Ore gerens clavem, ne reseretur idem.

---

578. Gualteri Alexandr. I, 27. 28
Nondum prodierat natura plana tenellis
Infruticans lanugo pilis.
580. Gualteri Alexandr. V. 191. 582. Sic! Sensus? Apud oppidulum erat mare, lux Paean Apollo? 584. cod. hunc. 585. cod. manet. 586. cod. venerem. 591. margini adscripta sunt: iam foret in voluntate ad effectum perducere.
594. Ov. Met. XIV, 31. 32
Et si spem dederis — — — tuae fiducia formae.
595. Ov. amor. II, 5, 37
Quale rosae fulgent inter sua lilia mixtae.
Alan. Anticlaud. Lib. I, p. 10. lin. 3 ab infra
Sidereum vultus castigavere ruborem
Lilia nupta rosis.
597. Ov. Ars I, 596 Et, quacumque potes dote placere, place.
599. Marg. ore gerit clavem quod secundum tempus scit loqui et reticere.

Approbat haec Paridem, Paridi placet illa; fovetur
  Ardens interius hac titione rogus.
Alter in alterius iactantes lumina vultus
  Non leve senserunt intus amoris onus.
Verberat haec illum, sed et ille reverberat illam,
  Visivis gladiis pulchra duella parant.
Nutibus alliciunt, oculo non ore loquuntur,
  Exterius ludunt, interiora tegunt;
Quoque magis tegitur tanto magis aestuat ignis,
  Igneus ille furor nescit habere modum.
Adspicies oculos tremulo fulgore micantes,
  Ut sol a liquida saepe refulget aqua.
Interea tacitae serpunt in viscera flammae,
  Et mala radices altius arbor agit.
O quam difficile mentem non prodere vultu!
  Saepe tacens vocem verbaque vultus habet.
Vultus enim nostri liber est et littera cordis,
  Est facies hominis lingua secunda sui.
Condere cum volumus arcanum pectoris intus
  Conscia purpureus inficit ora rubor.
Contigit hoc istis. Mentem legisse duorum
  In facie poteras; sic potes omne nefas.
Non poterant tamen alloquiis et prodere flammam
  Et, quod uterque velit, abstinuisse diu.

---

602. Pamph. LI, 13 Alter in alterius fert tantum lumina vultus. 608. Ov. Metam. IV, 64

Quoque magis tegitur, tectus magis aestuat ignis.

610. 611. Ov. Ars II, 721. 22. Adspicies etc., qua propter nosti: adspiceres mutabimus in adspicies. 612. 13. Ov. Remed. 105. 106. 614. Gualt. Alex. I, 63.

O quam difficile est studium non prodere vultu!

imitatio Ovidii Met. II, 447

Difficile est, crimen non prodere vultu.

615. Ovidii Ars Am. I, 574. 616. littera ex margine pro codicis litora. — Alan. Anticlaud. lib. III, p. 46, lin. 8 ab infra. Nam vultus noster liber est, et littera cordis

Nuntius, interpres verax, animique figura.

619. Ov. Am. II, 5, 34. Con. purp. venit in ora pudor. 621. omne ex margine pro codicis atque. 623. Dialogum aeque Ovidio depromptum praebet Konrad troj. Krieg. v. 20176—22406.

Conceptos ignes, captato tempore, produnt
Ambo revelantes, quam sit uterque libens.
Si Paridem studuisse putem, nec credo quod errem,
Aut Helenam scriptis; hora vacabat eis.
Eloquor, hic loquitur, non est locus, indice flammae
Et plus, quam vellem, iam meus extat amor;
Sed male dissimulo, quis enim celaverit ignem
Lumine qui semper proditur ipse suo.
Te peto, quam pepigit lecto Venus inclita nostro,
Te prius optavi, quam mihi nota fores.
Da mihi te, quae sit Paridis constantia, nosces,
Flamma rogi flammas finiet una mei.
Innumeras urbes atque aurea tecta videbis,
Quaeque suos dicas templa decere deos.
Nunc mihi nil superest, nisi te, formosa, precari;
Amplectique tuos, si patiare, pedes.
Aut ego Sigaeos repetam, te conjuge, portus:
Aut ego Taenaria contegar exul humo.
Ausus es, illa refert, temeratis advena sacris
Legitimam nuptae sollicitare fidem?
Hoc rogo, dissimules nisi tu desistere velis,
Sed cur desistas? dissimulare potes.
Quam multos credis juvenes optare, quod optas,
Qui videant, oculos an Pari solus habes?
Ad possessa venis praeraptaque gaudia serus
Spes tua lenta fuit: quod petis, alter habet.

---

628. 29. Ov. Heroid. XVI, 3. 4
Eloquar? an flammae non est opus indice notae
Et plus etc.
630. 31. Ov. Her. XVI, 7. 8. 632. 33. Ov. Her. XVI, 35. 36. lecto pepigit V. aurea. 634. 35. Ovid. Heroid. XVI, 161. 62. 636. Cod. ac., nos atque secund. Ovid. Heroid. XVI, 177. 636. 37. ibid. XVI, 177. 178. 638. 39. Ovid. Heroid. XVI, 269. 270. 640. 41. Ibid. 273. 274. Margo explicat Sig. per Trojanos, Taenaria per Graecia. 642. 43. Ovid. Heroid. XVII, 3. 4. 644. 45. Ov. Her. XVII, 151. 52, praeter quod 151 At tu dissimula: nisi si desistere mavis. 646. 47. Ex Ovid. Her. XVII, 99. 100 credas. sapiant. Paris unus. 648. 49. Ov. Her. XVII, 107. 108.

Aut ego perpetuam famam sine labe tenebo,
Aut ego te potius quam tua dona sequar.
Desine molle, precor, verbis convellere pectus:
Nec spolium nostri turpe pudoris habe.
Quod petis hoc faciam posito fortasse pudore
Et dabo coniunctas tempore victa manus;
Sed vatum monitus timeo quos igne Pelasgo
Ilion arsurum praemonuisse ferunt.
Nec dubito, quin te, si prosequar, arma sequantur;
Ibit per gladios (hei mihi) noster amor.
Si de te totus, ait hic, contenderit orbis,
Nomen ab aeterna posteritate feres.
Finge tamen, si vis, ingens consurgere bellum;
Et mihi sunt vires et mea tela nocent.
Nec minor est Asiae, quam vestrae copia terrae;
Illa viris dives, dives abundat equis.
Nec plus Atrides animi Menelaus habebit,
Quam Paris; aut armis anteferendus eis.
Opportuna suis statuuntur tempora votis
Hi duo. Quam longas sol trahit ille dies!
Mandat Alexander naucleros esse paratos
Taliter, ut possent solvere nocte rates.
Militibus jubet ut Helenam violenter abactam
De fano rapiant, in Phrygiamque vehant.
Audacem faciebat amor, temeraria virtus
Saepe sub ancipiti gaudia sorte tulit.
Incauti ne sitis, ait, nos omnia nostra
Tamquam mansuros disposuisse velim:
Si latet ars, prodest, affert deprensa pudorem,

---

650. 51. Ovid. Her. XVII, 69. 70. 652. 53. Ov. Her. XVII, 111. 114. 654. 55. Ovid. Her. XVII, 259. 260. 656. 57. Ov. Her. XVII, 239. 240. 658. 59. Ov. Her. XVII, 245. 246. 659. Cod. glacios. 660. 61. Ov. Her. XVI, 373. 74. Cod. tutus, tamen superscriptum est totus. 662—67. Ovid. Her. XVI, 351—356. 669. in margine scholion: desideranti ipsa celeritas mora est. 674. Ov. Met. IV, 96. audacem faciebat amor. ibid. VIII, 407 temeraria virtus. 678. Ovid. Ars am. II, 313.

Quae nimis apparent retia, vitat avis.
Ora sacrum teneant ne sit strepitus neque clamor,
Quis minor est unquam, quam tacuisse, labor?

HIC RAPTA EST HELENA.

Qui prohibere studet, pelagus ne fluctuet, ignis
Ne caleat, studio fallitur ille suo.
Nec later absque luto nec serpens absque veneno
Esse potest, nec erit femina casta diu.
Passa modo Paridem, Paridem modo, Thesea pridem
Iam Ledea thori vult violare fidem.
Pugnabat primo fortassis; et, improbe! dicet,
Pugnando vinci se volet illa tamen.
Dicimus hanc Helenam magis ex ratione leaenam,
Vel potius lenam confiteamur eam.
Rupta pudicitia, quia foeda leaena patravit
Crimen adulterii, sit quasi lena, probat.
Invadunt fanum somno fortasse sepultum,
Adspiciunt Phoebum nec reverentur eum,
Tyndaridem rapiunt; non est invita secuta,
Fitque negando patens et retrahendo sequens.
Priamides impellit eam cogitque volentem,
Quod juvat, invitae saepe dedisse volunt;
E foribus castri memorati pellere ni vi
Pro spolio tali prosiluere citi.
Obstant Troiani, fugiunt hi strage coacti,
Cetera turba ruunt, vel capiuntur ibi.
Fano praedato, cum nil superesse videtur,
Nauta solo cedit, fit fuga, praedo redit.

---

679. Ovidii Rem. Am. 516. 681. Ov. Amor. II, 2, 28.
Quis minor est autem, quam tacuisse, labor.
687. Cod. vul. 688. 89. Ov. Ars I, 665. 6, ubi:
Pugnando vinci sed tamen illa volet,
692. pro cod. patratum. 694. Cod. fatum, Virg. Aen. II, 265
Invadunt urbem somno vinoque sepultam.
699. Ov. Ars I, 674.

HIC PARIS DEDUCIT HELENAM.

Solverat Oebalio classem de littore victor,
Deveniunt Tenedon, inde quiete fovent.
Ex siccis oculis traxit Medea madorem;
Nullis flet lacrimis oblita veste nivis.
Non aliter manifesta potest abscondere mentis
Gaudia quam lacrimis femina trita satis.
Blanda voce Paris demulcens cor mulieris
Cras erimus plures inquit; at illa bibit.
Insinuat patri quid fecerit et quod coeptam
Clauserit optata prosperitate viam.
Statim defertur Menelao, quod foret uxor
In Phrygiam Phrygia per mare vecta rati.
Quae qualisve viro fuerit mens, nemo requirat,
Frigidius glacie pectus amantis erat.
In tantis dicenda malis quaecunque fuerunt
Non reor afflictum perterruisse virum.
Ille Pylum linquens tendit cum Nestore Spartam
Nescio quid scribat, quid stupefactus agat.
Mittit pro fratre, qui consiliator et esset
Et consolator; hic Agamemnon erat.

HIC PARIS VENIT AD TROIAM CUM HELENA.

Nunc Troiam praedo repetit cum divite praeda;
Sic et sic feci, nuntiat ille patri.

---

706. Statius Achill. I, 20
Solverat Oebalio classem de littore pastor.
708. cod. tragit. 708—11. alludit Lucanum Phars. IX, 1038—41 — — — lacrimas non sponte cadentes
Effudit; gemitusque expressit pectore laeto,
Non aliter manifesta potens abscondere mentis
Gaudia, quam lacrimis.
709. pro cod. ollea posuimus oblita = induta. Hor. Ep. II, 1, 204 Divitiaeque peregrinae, quibus oblitus actor
Cum stetit in scena, concurrit dextera laevae.
712. Cod. blandia. 713. bib. sc. aure. Ov. Her. IX, 154
Crasque erimus plures, inquit, et ipsa bibit.
715. Cod. clauserat. 717. Cod. per mare vecta mare.
719. Ov. Her. I, 22. 722. Cod. lingquens.

Ecce vides Helenam. Fortuna secunda secundum
Mentis propositum fecit ubique locum.
Rex ait exultans; et ego, quod debeat ista
Praeda, vaticinor, nostra redire soror.
Inquiret nos Graecus homo, non absque restauro,
Ac erit e nostro Graecia victa foro.
Tergit et hic oculos mulier castissima siccos
Et, cum laeta foret, sit quasi moesta sedet.
Consolatur eam Priamus, Paridique resignat;
Taedas instituunt, festa serena colunt.
Tu credis castam quae venerit huc, ego vero
Necquidquam credo, pactaque nulla dabo.
Hanc Cassandra videns: venit destructio Trojae
Et casus patriae! vaticinando canit.
Includit pater eius eam, mihilominus ipsa
Clamitat: in Troja Troica flamma sedet.

AGAMEMNON VADIT CONSOLARI MENELAUM IN SPARTAM.

In Spartam properat Agamemnon de Menelai
Pectore puncturas pellere moesticiae.
Consoleris; ait, per Troica sit, licet, arma
Tindaris ablata, jam repetemus eam.
Haec tibi reddetur, non irrepetita manebit,
Non erit a Phrygibus abdita Graeca manus.
Graecia perdiderat Helenam; sic et duo fratres
Quid super his faciant, consiliando sedent.
Finis consilii: patriae notescere factum.
Notescit nulla proveniente mora.
Conveniunt. Plures poteras vidisse Quirites
Mentibus illustres militiaque leves.
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer
Assilit Aeacides, tuque Patrocle comes.

---

734. in margine: ironia. 738. Cod. casta. 745. ex margine, pro codicis consuleris. 746. in margine: ista consolationis verba frater replicat ut moestitiam cordis eius liniat. 756. Cod. inexorarabilis. est Hor. A. P. 121.

Advolat Euryalus, cum Tlepolemo Diomedes,
Quini, quos poterat Troia timere, viri.
Hi Spartam veniunt, injuria facta recedit,
In caput ipsorum, qui meruere, ferunt.
Per Graecas urbes non paucus nuntius ibit,
Est opus, ut factum Graecia tota sciat.
Arma movebuntur per totam Dorica terram,
Sustineat meritam Troia superba vicem.
Expedit interea fabricari mille carinas;
Lenti non erimus per maris ire vias,
Conducendus erit exercitus, arma paranda,
Diverso classis est oneranda cibo.
Est exercitui caput unum praeficiendum,
Ad nutum cuius omne regatur onus.
Nos quoque debemus totis incumbere remis,
Ut figat Phrygium lancea nostra solum.
Scilicet adversis probitas exercita rebus
Tristi materiam tempore laudis habet.

AGAMEMNON REGNO PRAEFICITUR.

Regno praeficitur Agamemnon, tota jubetur
Protinus imperio Graecia stare suo.
Praecipit ut Danaos percurrat plurima fines
Littera, describens hic et ubique rates:
Et ratibus factis portus teneatur Athenis,
Ut se vis populi colligat omnis ibi.
Ibimus, inquit, abhinc Trojam; quae, strenua nobis
Si manus est et mens, indita probra luet.
Turpiter amisit Helenam provincia nostra,
Effecit praedam praedo dolosus eam.
Incautam Paris arripuit, pro conjuge duxit
Praebens innocuo facta nociva thoro.
Omnis in arma ruat, gladiis se Graecia cingat,

---

758. Cod. Auriolus. Tleptolomo, mutavimus e Darete. 759. Cod. qui ni. margo quinque et quini. 764. Dorica superscriptum: Graeca. 774. 75. Ovidii sunt Trist. V. 5. 49. 50., ex quo loco posuimus Tristi mater. per nostri mater. trist. 779. Cod. litora.

Non labor excuset ista vel ullus honor.
Exsiliant quibus arma sudes et Daca bipennis,
Praecipites veniant, arma cibosque ferant.
Nostra quiescit in hoc intentio, fiat ut inde
Praedo dolorosus, unde dolosus erat.
Mandato facilis Graecus iam militat omnis,
Inproperant, cunctis sit quia cifra pigris.
Stiva relicta rubis queritur cessare ligones,
Radicosus agri deserit arma cicer.
Conflatur gladius ex vomere, lancea falsae
Deservit galeae furca tenella strepe.
Quid moror! In bellum currit cum milite vulgus,
Vix remanet serere qui leve possit olus.

LIBER SECUNDUS.

INCIPIUNT CAPITULA SECUNDI LIBRI.

Scriptat iste duces et naves mittit Athenas,
De casu Trojae Graecis respondet Apollo.
A Calchante rates retinentur in Aulide. Fit rex
In Mysia Telephus, Helenamque reposcit Ulixes.
Velificant Danai, defendunt littora Teucri.
Protesilae cadis! Surgunt tentoria mane.
Altera pugna furit; Patroclum tertia sternit.
Fiunt cognati pugnantes Hector et Ajax.
Pax annis binis. Sceptrum vir Nauplius ambit.
Saucius a Paride Menelaus castra subintrat.

---

790. Gualt. Alex. I, 256
Instaurat quibus arma sudes et Daca bipennis.
792. e margine pro unde. 796. 97. Gualth. Alex. III, 417. 18
— — — queritur cessare ligones
Radicosus ager et sentibus obsita tellus.
798. e margine pro cod. stupe. 797—801. Imitatio Ovid. Fast. I, 697 ssq.
— — — erat aptior ensis
Vomere: cedebat taurus arator equo.
Sarcula cessabant: versique in pila ligones
Factaque de rastri pondere cassis erat.

EXPLICIUNT CAPITULA. INCIPIT SECUNDUS LIBER.

Non semper feriet quodcunque minabitur arcus,
Incoeptum casus saepe retardat opus.
Jam pridem rapta Castor Polluxque sorore
Aspera vindicem mittere tela student.
Praedonem subito galeata nave sequuntur
At Boreas illis obstat et unda maris;
Nam postquam solvere ratem de littore Lesbi,
Maxima tempestas per mare jecit eos;
Sic ut eorundem vestigia non reperiret,
Hos perquisierit Lesbica turba licet.
Per pelagum donec ad Pergama nauta marinus
Ambos quaesivit nec reperisse tulit.
Fabula stultorum locat inter sidera fratres,
In geminis, aiunt, hos radiare vides.
Qui prius exoritur, hic ultimus occidit; et qui
Ultimus exoritur, occidit ille prior.
Immo Dares Phrygius qui Troica proelia scripsit
Illorum nulla de nece scripta dedit.
Hos erat in Trojae memor obsidione stetisse,
Sunt ab eo visi tempore pacis ibi.
Saepe loquebantur Trojani: vidimus illos;
Et satis amborum disseruere statum.
Praeclari facie deductum corpus habebant
Caesarie flavi, corpore paene pari.
Magnis stellabant oculis, laudabile vultus
Hujus et membrorum dico fuisse decus.

---

4. Cod. Moesia ut et Dares. tamen Mys. legendum ob versum uti etiam infra. 6. Prothetelae. 9. Cod. Nauplicus ut ambit. In margine scholion: Palamedes filius Nauplii. 1. Horat.: est A. P. v. 350. Nec semper etc. 2. Ov. Amor. III, 12, 18

Phoebus et incoeptum destituisset opus.

6. Cod. optat. 7. Cod. Lesbo. 20. Error Alberti; Dares c. 12 dicit, postquam de Castore et Polluce egit, „hos se vidisse, quum induciae essent, partim proelio interfuisse“ sed intelligend: Graecorum Trojanorumque duces, quia prius c. 11 interiisse Castorem et Pollucem ante bellum narraverat.

Blanditiis erat insignis soror, ore pusillo
Pulchra, serena, decens, simplicitate vigens.
Laeta supercilia notula mediante notata,
Mens lasciva fuit, membra decora tulit.

DUCES DESCRIBUNTUR.

Rex ibat Priamus aquilino corpore magnus,
Vultu pulcher erat, suaviter ora movens;
Hector erat crispus, membris pernicibus, albus,
Stabat magnanimus, Martis et arte probus;
Blaesus, barbatus, vultu venerabilis, aptus,
In populo clemens, dignus honore, decens.
Docti, clementes sunt Helenus Deiphobusque
Saepe solet similis filius esse patri.
Sic et erant isti, fuerant quoque corpore magni,
Formosi, soliti suavia verba loqui.
Magnus erat Troilus, fortis, pulcherrimus, acer,
Virtutis cupidus et sine faece bonus.
Longus Alexander et candidus, ore venusto,
Aptus, facundus, ambitione calens,
Pulchris stellatus oculis, mollique capillo
Flavescens, suavi voce loquenda loquens.
Andromache sapiens formosaque, longa, modesta
Et rutilans oculis, candida, blanda satis.
Facturae mediocris erat Cassandra, rotundo
Ore, micans oculis, rufa, benigna, scia;
Praescia quam fuerat venturi non iterabo,
Quod semel audistis, est recitasse satis.
Candida, formosa formaque Polixena longa,
Hos rectos oculos rectaque crura probo.
Simplex, larga, decens, flavos quoque laudo capillos
Et teretes digitos exiguumque pedem.
Hecuba quae fuerat aquilino corpore pulchra
Mente virûm, pugnans, callida, casta, pia.

---

27. margo: Helena. 28. margo: quantum ad exteriorem habitum. 47. Cod. modesto. 54. Cod. hec. 56. Ov. Ars I, 622. 58. secund. Daretem pro: casta scias.

Magnus, facundus, prudens Agamemnon et albus,
Nobilis et dives pervalidusque fuit.
Staturae mediae Menelaus amabilis, aptus,
Rufus, formosus et bene gratus erat.
Improba, mobilior folio, Ledaea! caduco
Non poteras tanto fida manere viro.
Aeneas rufus affabilis, ore venustus,
Fortis, facundus, consiliique scius,
Nigris laudatur oculis, sed alacriter illis
Utitur ut ridens, vir pius, imo decens.
Antenor longus, gracilis, versutus, acutus
Est, agilis, velox, providus atque dicax.
Ore venustus erat et pectore magnus Achilles
Strenuus et hilaris, dapsilitate libens.
Myrteus in crine, clemens, acerrimus armis,
Crispus, amorosus, grandia ferre levis.
Dapsilis et prudens Patroclus, corpore pulcher
Corde pio pacem gessit et ore fidem.
Ipse smaragdineis oculis magnisque decorus,
Os sine mente loquax creditur esse nefas.
Clarus voce, valens, formosus Oileus Ajax,
Corpus deductum, membra quadrata sibi.
Vocalis, validus Aiax Telamonius atrox,
Simplex, caesaries tam nigra, crispa coma.
Non formosus erat sed erat facundus Ulixes
Ore quidem laeto non tamen absque dolo.
Facturae mediae fuit et sapientia multa
Cordis ei; cur hoc praeteriisse velim?
Quid de formosa dicam Briseide? simplex,
Blanda, verecunda, candida, compta fuit.
Juncta supercilia, molles flavosque capillos
Corpus et aequale, lumina clara probo.
Debueram posuisse, quod haec affabilis esset

---

70. Cod. volex. 73. Dares. capillo myrteo. Iscan. IV, 111 coma myrthea. Fortasse erat color nigricans ut ap. Philost. Her. II. §. 20 p. 690 not. 6. 13. (ed. Olearius) *ὑακινθίνη κόμη*. 78. creditur pro codicis ceditur.

Et pia, si longa vult tacuisse mora.
Audax in bellis acerrimus est Diomedes,
Strenuus et fortis vultus honestus ei.
Austerus clamosus erat calidoque cerebro,
Corpore quadratus impatiensque satis.
Triptolemum noscis; magnus fuit atque virilis
Optima forma sibi sed stomachosa quidem;
Blaesus, aduncus erat velox oculisque rotundis,
Cui facies hilaris, larga superciliis.
Candidus et magnus, naso quoque Nestor obuncus
Dapsilis et sapiens, consiliando sagax.
Mittitur Iliacas audax orator ad arces,
Nestora laudare cum Cicerone potes.
Candidus et temerarius es, tibi vultus honestus,
Fidens in celeres Protesialae pedes!
Magnanimum gracilem sapientem dic Palamedem,
Blandus, facundus, ambitiosus erat.
At crassus Polydorus erat Neoclecicus audax
Tristis, pervalidus, mente timente tacens.
Magnum prudentem dicuntque Machaona fortem,
Hic simul et patiens compatiensque fuit.
Merionem rufum ponas sed et impatientem
Et, quia sit medius, corpore, mente tenax.
Dicere cum volui quam pertinax esset, oriri
Me contra coepit protinus ira metri.
Me duce qui toties, inquit, mea signa tulisti,
Quis modo persuasit illa negare tibi.
Exitus acta probat; finis, non pugna coronat,
Laudamus tandem sole cadente diem.
Nostra probabiliter huc usque secutus es arma,
Nunc quasi deficiens ilia ducis iners.

---

97. pro Triptolemo, Dares praebet Neoptolemum. Cod. Triptolomum. 99. ex margine aduncus quod etiam apud Daretem, pro adulcus. 101. naso pro nasum cod. 105. Alluditur Ciceron. lib. de sen. cap. 10. 109. Polydorus, Dares habet: Podalirium crassum, valentem, superbum, tristem. 119. Ov. Her. II, 85. Ex. act. prob.

Sudavit nostris pro te Raimundus! in armis;
Scit tibi bis binis ire quadriga rotis.
Occupat extremum scabies, quia ducis in aulam
Proscriptos nostram rem recitando ream.
Est tibi grammaticae nimis artus fertilis hortus,
Qui quibus et quabus omne ministrat olus.
An non pro verbo didicisti sumere verbum
Ut teneant proprium singula quaeque locum?
Territus his jaculis, cessavi ponere: perti—
Nax ponens eius nomine mente tenax.
Crudelem si dico virum, si dico virilem
Vel si virosum, sustinet illa metrum.

NAVES REPARANTUR.

Pes scitus et querulus Danaos convulserat omnes
Belli participes aedificare rates,
Currit ad incudem quaevis reparanda bipennis,
Malleus affligi se dolet arte fabri.
Runcina lambit aquas et ferri provocat iras,
Ut ligni manibus pugnet in omne nemus.
Nunquam conferret tot silva manubria ferro,
Si sua sciret eo maxima damna data.
Itur in antiquam silvam; conjurat in ipsam
Plurimus et pariter absque tepore faber.
Insolitum patitur pinus secata securi,
Immensamque ruens occupat ornus humum.
Fit fragor in silvis, taxi torquentur in arcus,
Currere cogit opus multiplicata manus.
In classem cadit omne nemus, volat in mare quercus
Portant insuetas taxus et alnus aquas:

---

123. quis sit hic Raymundus, nescimus. 125. prima pars est Horatii A. P. 417. 127. in margine; quia pertinax in metrum poni non potest. 142. data pro dato. 143. it. in ant. sylv. e Virgil. Aen. VI, 179. 144. Cod. Prurimus. 145. Cod. insolitam. 147. Ov. Met. I, 268. Fit fragor. Virg. Geor. II, 448 tax. torq. in arc. 149. Gualter. Alexandr. X, 188: In classem cadit omne nemus, stupet aera tellus.

In galeas falces redeunt, in pila ligones
Loricam textam vomere ridet ager.

NUMERUS NAVIUM.

Ipse Misenaeus magnorum ductor Achivûm
Centum praecipuas praecipit ire rates.
Se movet e Sparta Menelaus, currere naves
Sexaginta jubet damna probrosa gemens.
Peneleus princeps, quem promptu Boetia mittit,
Quinquaginta rates, ut fabricentur, agit;
Tertius, atque Dimas Prothenor et Arcesilaus
Expansi socii suntque laboris ei.
Ex Orchomeno properat trigintaque naves
Jalmenus adducit, cui comes Ascalaphus.
Aschepius fortis et Epistrophus ex Polixeno
Fecerunt decies quatuor ire rates.
Ajax interea Telamonius ex Salamina
Cum Teucro fratre navigat et Dorio.
Theseus, Amphimachus sociusque Polyxenus illi,
Quadraginta rates hic numerare potest.
Non credemus in hoc venisse juvamine Ulixem
Immo quater naves vexerat ille decem.
Deque Pylo Nestor trahit octoginta carinas,
Dat semel Aetholicus et quater octo Thoas
In mare ter denas laetanter Oileus Aiax
Praecipitat puppes, cum quibus octo loces.

---

151. 52. Ovid. Fast. I, 697/99.

— — — erat aptior ensis
Vomere: cedebat taurus arator equo.
Sarcula cessabant: versique in pila ligones
Factaque de rastri pondere cassis erat.

153. Virgil. Aen. XI, 266. 157. Pen. non apud Daretem; sed apud. Virgil. Aen. II, 425. 160. Cod. expanse. 161. Cod. Corcomeno. 162. Achalaphus, nos e Darete Asc., qui etiam pro Thelamus nostri habet Jalmenus quapropter mutavimus: Adducit Thelamus in Jalmenus adducit. 163. Dares nominat: Epistrophum et Schedium ex Phocide. 165. Cod. potes.

Dat tres Venereus et quinquaginta carinas
Omnes sunt plenae fortibus absque sene.
At triginta Thoas vehit ex Chalcedone puppes
Huic comes Aulippus huicque Phidippus erat,
Octoginta vehit ex Creta Meriones et
Par erat Idomeneus fortis ei socius.
Ex Pataro decies bis binas, Protesilae!
Ducis et ex Pyrgis, o Eumele! decem.
Dat triginta rates Podalirius atque Machaon,
Intras, Triptoleme! navibus octo mare.
Quinquaginta rates Patroclus agunt et Achilles
Ex Scythia properant Myrmidonesque vocant.
Alphineus veniens ex Elide per mare ducit
Quinquaginta rates Amphimachusque comes.
Non deest Argolicis praeclarus Marte Leontes
Dando quaterdenas cum Polypoete rates.
Guneus ex Cypho non militat impare voto,
Sed dicas, decies advehit octo rates.
Arma Philoctetes non subtrahit, immo carinas
Quadraginta vehit, Magnesiamque trahit.
Arcadiae princeps penultimus est Agapenor
Sex decies ratibus occupat ille solum.
Mnestheus occurrit ab Athenis, puppibus autem
In quinquagenis arma cibosque vehit.
Has igitur reliquasque rates cum rebus earum
Quadraginta novem dic fabricasse duces.
Omnes illustres et Martis in artibus acres,
Mens quibus est nolle cedere, malle mori.

175. Quis sit, nescimus, quum de Venereo quodam undique altum silentium. 177. Cod. Calcedine. 178. Phidippus e Darete pro Philippus. 179. et pro: si. 182. Cod. o Cimelee. 183. Cod. Polidarius. 187. A Darete nominatur Antiphus. Elide pro Ilide. 189. Leontes. Dar. Leonteus. 190. Cod. Polibete. 191. sic ex Dar. pro Cypro. 192. margo pro ille praebet octo, sed et sic numerus navium, decies octo: discreparet a Darete, qui XXI, et ab Homero et Dict. qui XXII numerant. 193. Phil. pro Policteres codicis posuimus; Dares alio loco posuit Philoctetem, hic Prothoum.

Est etiam sociis mens irrevocabilis una
Contra Trojanos arma movere manu.
De numero ratium si queris; mille carinas
Centum bis denas dinumerare potes.

NAVES PRŌCEDUNT.

Solvuntur naves e littore, versus Athenas
In pelago pulchre vela volare vides.
Littus Atheniacum postquam tetigere, citatis
In coetum ducibus, rex Agamemnon ait:
Eloquar an sileam? loquor et reticere coartor:
Dedecus est propria prodere saepe probra.
Dejectum neminisse pudet, quis crederet unquam
Sic variare suas tempora laeta vices.
Saepe mihi dubiam traxit sollertia mentem:
Otia vellemus vel magis arma sequi?
Quaerere vindictam vel dissimulare querelam?
Hostibus instare vel mage treuga dare?
Odia dissolvunt animos, suadendo quietem
Sensus enervant desidiamque fovent.
Quid sequitur tolerans injuria nulla repulsa?
Scandala, jacturae, damna, pericla, minae.
Quod loquor, ex casu praesenti scire potestis,
Otia materias his tribuere malis.
Sed dolus intererat et dignus vindice nodus
Affuit incautis insidiosus homo.
Ledaeam rapuit facturus vota Dianae
Fanum cum sociis ingrediendo Paris.
Devexit praedam non Marte sed arte levatam,
Fraudis non laudis huc tulit arma Paris.
Arma fugant hostes, reddunt amissa, repellunt
Segnitiem, reparant damna, tuentur opes.
O proceres! vestro supplex inclino favori,
Vos video nostris condoluisse probris;

---

211. ex margine pro: eloquor. recitare. 224. pro cod. thuere e margine. 225. pro cod. dolor, e margine. 226. margo praebet scholion: Paris. 233. ex margine pro fabori.

Adventus vestri probat hic alata voluntas
Et quas vexistis huc veniendo rates.
Immo labor tolerandus adhuc, cum simus inire
In Phrygiam, fortes ense domare Phryges,
Vos, qui proposito nolite recedere vestro,
Constantes sequitur gloria magna viros.
Otia deponat, armis se Graeca juventus
Induat, iam minax ad latus ensis eat,
Vindicet opprobria, hunc hostem, damna requirat,
Nec nisi subjectis hostibus arma locet;
Sed tamen interea Delphos mittatur, Apollo
Est ibi, pro voto dona feramus ei;
Eventum belli responsum scire per eius
Possumus; in finem sed quis iturus erit?

FANA DANT RESPONSA.

Quaerit cum socio Patroclo missus Achilles
De re proposita; fataque fantur ita:
Graeci Trojanos vincent decimoque sub anno
A Graecis debet Troja subacta capi.
Calchas divinus et Nestore natus eodem
Est pro Trojanis tempore missus eo.
De regno rebusque suis hic consulit, audit
Quod sibi cum Graecis Troja petenda fuit.
Conveniunt Calchas et Achilles, seque salutant
Et simul in fano mutua verba serunt.
Alterutrum quaerunt: tibi quid respondit Apollo?
Hoc mihi dixit et hoc, unus et alter ait.
Graeci victores fient, hoc inquit; hic autem:
Cum Graecis ibo, Troicus hostis ero.
Concordant, in amicitiam sociantur, Athenas
Ad Danaos veniunt et recitata ferunt.

---

235. margo: allata, sed perperam, nam alata significatione „cita“ utitur noster. 244. Cod. sibi. 246. e marg. voto pro cod. vota. 253. Quis Trojanorum est Nestore natus? 263. ex margine pro: condordant.

Gaudent Argivi Calchasque receptus honeste
Inter eos degit nec sua tecta petit.

TROIANI TELIS ET ARMIS MUNIUNT SE.

Non poterant ista Trojanos facta latere,
Obfirmant etiam pectora, tela parant.
Rumor ut hic primum Priami per tecta volavit,
Bella mihi, video, bella parantur, ait.
Armat et ipse Phryges in proelia, moenia munit
Auxiliis, armis, viribus atque viris;
Thesauros aperit, dat donativa maniplis
Ocius in bellum congregat omne solum.
Flevit et hic Helena specialis causa malorum,
Attamen his modicam fletibus addo fidem;
Ponatur: lacrimas, quas fuderit haec, mulieres
Ut flerent, oculos erudiere suos.
Quales ergo cibi, talis domus atque supellex
Qualis erat mulier, tale coquebat olus.

TEMPESTAS GRAECORUM NAVES TRAHEBAT.

Ancora, quae Graecam tenet inter littora classem,
Solvitur, incipiunt aequor amare rates.
Aeolus insanit et tempestate coacta
Cogitur ad littus Graeca redire phalanx.
Respondit Calchas: redeamus, in Aulide stemus,
Placabit tandem lenior aura ratem.
Persolvit rediens Agamemnon vota Dianae,
Ancorat hic plures nautica turba dies.

HIC ITERUM AURA FAVET GRAECIS.

Gratum post aliquae producit tempora ventum
Exhilarans oculos aura serena suos.
Vela petunt arcem, solvunt retinacula classem,

269. Ov. Fast. VI. 527:
Rumor (ut est velox) agitatis pervolat alis.
274. Gualth. Alex. II, 17.
Ocius edicto ruit omnis in arma juventus.
278. Ex Ovid. remed. 690.

Invehitur medio puppis honesta salo.
Nauta Philoctetes sit de potioribus unus,
Cui fuit in reliquis plus via nota maris.
Argonautarum socius fuit hic homo, quocum
Phryxeam petiit Pelias arbor ovem.
Undique vela volant, longa statione videre
Per pelagi solitas sol prohibetur aquas.
Velant vela mare, mare totum cerne volare,
Dividit undosas spumea prora vias.
Pontus ponte caret mihi dicunt, hic ego pontum
Verius a multo dicere ponte queo.
Pontus enim, textus quia pontibus est, ubi classes
Pontificas pontus pontis ad instar habet.
Imperium tangunt Priami, munitio quaedam
Est ibi, quam rara dextera iactat humi.
Hic versus Tenedon procedunt, quicquid ibidem
Vivi reperiunt, mortis ad arva trahunt.
Praedam partitur Agamemnon habetque, vocato
Agmine, de belli provida verba statu.
Vultis ut ad Priamum mittatur nuncius, inquit,
Quaerens, quid fecit, si variare velit.
Reddere vult Helenam, sit bellum pace sepultum;
Si minus, in gladiis aggrediamur eum.
Forsan tum medio posuit deus omnia campo,
Sentiet iratos Troica praeda deos.
Ad Priamum missi Diomedes sunt et Ulixes
Ambo facundi, ferre ferenda probi.

ACHILLES ET TELEPHUS MITTUNTUR IN MYSIAM.*)

In Mysiam Telephum direxit rex et Achillem
Urere, praedari, subdere cuncta neci.

293. Philoctetes e Darete pro cod. Philocteres. 294. nautarum ex margine pro cod. nautatum. 296. Ovidii est Heroid. XII, 8. 298. ex margine pro sasitas. 306. rara ex margine pro rata, quod significatione „firma“ aptum sed metro (rătă) inconveniens esset. 313. cod. Reddere si vult Helenam etc. 315. Lucani est Phars. VII, 348. 319. Moesiam.

*) Mysiam, non, quod codex et Dares habent Moesiam,

Rex Teuthras occurrit eis, accurrit Achilles,
Indit et illustri vulnera dira duci.
Sed Telephus clypeo nisi protexisset eundem,
Huic reor extremum fata dedisse diem;
Cumque rei talis causam scrutasset Achilles
A Telepho doctus ore fit inde brevi.
Contulit hospitium mihi Teuthras, cum puer essem,
Me pater ad regna miserat illa meus;
Insuper a rege quondam Diomede subactus
Sic erat, ut regni perderet arva sui.
At meus occiso pater illum liberat hoste
Omnia restituens perdita, pace data;
Res ea me regem clypeo servare coegit,
Accepti memores nos decet esse boni.
Saucius ad mortem Teuthras ubi comperit istud
Accito Telepho debilis exit in hoc:
In regno regnare meo fortissimus olim
Me tuus et tutum fecit ab hoste pater.
Gratia pro rebus merito debetur inemtis
Et nihil ingrato pejus habere potest.
Nondum promerui, sed nunc per posse merebor,
Haeredem regni te reputabo mei.
Accipe, pone tuo capiti, quam porto, coronam;
Statque sub imperio patria tota tuo.
Dixit et inmites filum rupere sorores
Et subiit Telephus imperiale decus.
Rex novus exanime condivit aromate corpus
Et regum more funeris egit opus.
Huic ait Aeacides: o rex fortuna beavit
Te merito donis, praemia digna geris.
Nec fortunatus es solus, Dorica tecum
Hac poterunt castra prosperitate frui.

---

nam Teuthras fuit rex Mysiae non Moesiae. De hac forma: Moesia cfr. Dederich ad Dict. II. 1 obss.

321. Cod. Teucras. 327. Cod. Teucrus. 334. Anon. Nevel. p. 514. lin. 5 ab infra. 336. e margine: exit: pro: „dixit" 339. Ovidii est Am. I, 10, 43. 347, in margine scholion: Telephus. 349. huic pro hiis.

Possunt Argolicis hinc ire cibaria castis,
His poteris nobis utilis esse modis.
Hac vice Troianam non ibis ad obsidionem,
Quicquid agant alii, sit labor iste tuus.
Puppes mittemus, tu tantum providus esto
Nobis mittendis has onerare cibis.
Hic manet, ille redit; Agamemnonis auribus indit,
Quod factum fuerat, ille patrata probat.

VERBA ULIXIS ET DIOMEDIS AD PRIAMUM.

Ceperat interea jam pridem missus Ulixes
In facie Priami cum Diomede loqui:
Rex! missi sumus ab Agamemnone, si placet, audi
Haec, quae deferimus eius ab ore tibi.
Graecorum regi non est victoria tanti,
Ut per bella suos malit obire viros;
Sed tamen illius regnum ne deprimat hostis
Materiam damni dedecorisque gerens,
Si quis enim damnum vel dedecus inferat illi,
Malumus ante mori quam duo dicta pati.
Rex Helenam redde; pacatae ramus olivae
Sic inter Graecum stet Phrygiumque locum.
De Paridis praeda non est mihi mentio tanta,
Cum tamen haec merito restituenda foret.
Dedecus omnino taceo, quid amarius omni
Est damno? tantum foedera pacis amo.
Si facis, haec volumus extrema pellere cella,
Quae fuit ulterius Dorica passa domus:
Si minus; est animus vobis effundere vitam
Aut nos ex vita tradere propter eam.
Ut modicum tacuit Priamus, subduxit: Ulixes!
Promta seris verba, tune vocaris ita?
Promta quidem, sed comta minus tu proposuisti

357. ex margine pro simplici „quid“. 367. ex margine pro altero suos, viros. 372. pacatae ex margine pro placatae. Ov. ex Pont. I, 1, 31. pacatae ramus olivae. 380. nobis pro codic. vobis. Imitatio Virgil. Aen. I, 103 tuaque animam hanc effundere dextra.

Dedecus et damnum non toleranda tibi:
Cur tam dedecori, quam damno, quae Graecia nobis
Promserat, illudis? Haec duo Troia tulit.
Nonne patrem nostrum Graeco scis esse peremtum?
Hesyonae raptum servitiique jugum?
Qui spoliaverunt hanc urbem, nonne Pelasgi?
Qui confregerunt moenia, nonne tui?
Hoc ne praeteream, potuitne victor abire
Pluribus amissis rex tuus, immo capi?
Saepius Hesyonem frustra repetivimus; at tu
Ilico vis Helenam te repetisse tuam.
De vestra canis hic mihi praeda, succine nostram
Quando, quibus vel ubi restituistis eam?
Antenor missus a nobis pro repetenda
Quid tulit Hesyone? Scandala. Scisne bene?
Retulit ille nihil, praeterquam tela minarum;
Praeterquam probra retulit ille nihil.
Nunc Helenam repetis et vis ut ad omnia nullam
Offerat emendam Graecia, Troja gravem.
Reddidimus simile, vos Hesyonem rapuistis,
Nos Helenam; proprium pertulit auctor opus.
Lege tua pateris, nec enim lex aequior ulla;
Quam necis artifices arte perire sua.
Si te conficeret simplex injuria, nullo
Praecedente malo, quo paterere modo?
Addis ab inde minas, et stulte! dic, age: collum,
Si volo, non valeo cingere reste tuum?
Verborum depone favos, haec littora linque,
Spernunt Argolicos limina nostra pedes.
Si pacem feceris, hic invenietis et ipsam;
Si gladios, gladios reperietis item.

387. Cod. illusit. 402. pro cod. nulla. 403. cod. granem. 406. 7. Ovid. Ars am. I, 655. 56
Justus uterque fuit, neque enim lex aequior ulla
Quam necis artifices arte perire sua.
407. ex Ovidio et margine pro artificis. 409. Ov. Heroid. XVIII, 44. quo pat. mod. 410. Cod. addit. 415. Cod. gladios, glodios.

DIOMEDES ET ULIXES REDEUNT TENEDON.

Legati redeunt Tenedon, regique revolvunt
Omnia, quae Priamus dixerat atque refert.
Nil aliud restare liquet nisi fortia bella,
Fortiter in fortes arma movere manu.
Unde repente gradus est praecipitandus in hostes,
Nam sibi, qui parcit hostibus, hostis erit.
Huc de consilio maturo venimus omnes,
Credo verecundum vertere retro gradum.
Non reddunt Helenam, repetamus viribus illam
Optima vindictae proxima quaeque dies.
Nam mora dat vires, plures mora colligit hostes,
Sicque fit ut populi copia crescat eis.
Sit subitum quidcunque paras; nunc dicitur: ergo
Festinet gladius ad juvenile latus.

PRIAMUS CONDUCIT QUOSQUOS FORTES.

Nec Priamus pausat, proceres cum fortibus omni
Ipse satellitibus e regione vocat.
Inde manus aperit irrorans pectora donis
Et tam pollicitis quam trahit ille datis.
Eius in auxilium properat non pauca juventus
Militiae celebris fortibus aucta viris.
Advenere duces infortes, mentibus acres
Non dubii prono pectore bella sequi.
Sarpedon, Glaucus, Adrastus, Pandarus, Amphon,
Peleus, Amphimachus, Ceramis, Yphitides
Cum Pitano Caropes, cum Residamante Corebus
Ephicus, Eripheus, Calcamus atque Caros.

---

*) Inscriptionem cod. male habet: Diomedes et Priamus redeunt ad Ulixem.

425. e margine pro opima. Ov. Rem. 96. 426. Ov. Rem. 83: Nam mora dat vires, teneras mora percoquit uvas. 427. cod. copia populi. 438. Ampon Dares nominat Amphionem. 440. Margo: Iste Corebus ducturus erat Cassandram filiam regis Priami et ob hanc versus in bellum. — Corebus et Dimas Virgilii sunt II, 340.

Ennomus et Phorcys et Epistrophus et Polynestis
Yphicus et Pelias, cumque Thoante Dimas,
Ripheus Achipanis et Alastrenus Ausius, audax
Aschrander, Cormus, Memnon et Archilochus.
Deberem procerum si nomina cuncta referre
Hora foret spatium non habitura breve.
Isti diversa se de regione levantes
Intrant ad Priamum bella juvare Phrygum.
Trojani sunt ex istis plerique Quirites
Cedere treuga leves dedere treuga graves.

PALAMEDES ADEST CUM NAVIBUS.

Consilium tractat adhuc Agamemnon et inter
Regni magnates bellica facta librat.
Interea veniens Palamedes Nauplica proles
Ter denis ratibus arma cibosque vehit.
Non valui venisse prius, conabar Athenas
Tendere, non poteram, febre vetabar, ait.
Nunc quamvis lentus, laetus tamen advehor, omnem
Quam mihi dixeritis, exhibiturus opem.
Hinc grates, Agamemnon ait, nostroque sub infra
Sis de consilio: paruit ille viro.

PALAMEDES DISSUADET ADITUM TROIAE NOCTE.

Nox erat et toto fulgebant sidera coelo
Sibilat optatus puppis in arce sonus.
Consilii coepere libra trutinare, velintne
Nocte solum Trojae tangere, sive die.
Diversis diversa placent, sed opinor honestas

---

442. Ennomus et Phorcys e Darete pro Ephomus et Phorcys. Nomina procerum mire mutilata sunt, nonnulla, quae neque apud Daretem neque apud Dictyn sub hac forma inveniuntur, Pindari Thebani sunt, sicut Asius, quem noster Ausius appellat. (Epit. 777—781). 451. Cod. gnaves. 456. Cod. nam. Athenis. 462. Epitom. Iliad. Hom., v. 110. 466. Maximian. eleg. I, 103.

Diversos diversa juvant: non omnibus annis
Omnia conveniunt: res prius apta, nocet.

Consilii causas a Palamede datas.
Hic latronis, ait, mos et sollertia furum,
Nocte latrociniis, nocte vacare dolis.
Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones
Turpibus atra lues creditur esse dies.
Publica non audent inter monumenta venire
Clara non fuerint quae celebrata die.
Facta decent manifesta viros aperire profecto,
Hi debent operas non operire suas.
Noctem peccatis et fraudibus obice nubem,
Dicunt patrantes clam sine teste nefas.
Nos claram Trojam claro sub sole petamus,
Noctis militibus nolumus esse pares.
Utile consilium Palamedis cum sit honestum,
Incunctanter habet concio tota ratum.

GRAECI VENIUNT AD LITTUS TROIANORUM.

Proclamant proceres Agamemnona denuo regem,
Vivat rex, vivat: curia tota sonat.
Imperat accitis praeconibus, ut simul omnes
Incipiant signo vela levare dato.
Imperio laeti parent, ac jussa facessunt
Quaeque levanda levant, quaeque paranda parant.
In bellum latura cibos Telephia regna
Intrat honesta viris rege volente ratis.
Annus abit placitaque movent spiralia ventum
Ad mare maturat Graeca juventa gradum,
Et signo facto redit ancora, carbasa surgunt,
Antemnas adhibent, vela repanda patent.
Jam mare velivolis late contexitur alis

468. Gualter. Alexandr. IV, 353
Hic latronis ait mos, haec solertia furum.
469. latrociniis e margine pro latrociis. Gualt. Alex. IV, 355.
Summa nocere dolis et fallere fraude latenti.
470. Horatii est Epistol. I, 2, 32. 472. Ovidii est E. Pont. I, 1, 5. 476. Horatii est Epist. I, 16, 62. 484. praeconibus pro „pocōribus". 486. Virgilii est Aen. IV, 295.

Infestat liquidas libera classis aquas.
Spumeus et fervens et ab obice saevior ibat
Objectis proris impetus ille maris.
Accipiunt ventos a tergo mille carinae
Jam poterant puppes paene videre Phryges.
Et Danai Trojam, quam fama locabat in astris,
Jamjam prospiciunt, prospiciendo canunt.
Nauticus exoritur vario discrimine clamor,
Ridet, quem fata iam lacrimosa manent.
Providus aeria cernens speculator ab arce
Nuntiat, Argolicas appropriare rates.
Adversus Trojam diversa classe potenter
Littus ad Iliacum nauta gubernat iter.
Nec mora; Dardaniam tacturi iam prope terram,
Clamores geminant, bellica signa levant.
Ancora de prora jacitur, stat littore puppis
Vertit arenosum lamina panda lutum.

TROIANI DEFENDUNT LITTUS ET PROTESILAUS CADIT.

Vix bene desierat speculator, buccina clangit,
In cumulum populus omnis in urbe ruit,
Evolat e portis bipatentibus ipsa juventus
Argolicos stadii pellere fine sui.
Jam rector datur Hector eis, ad littora currunt,
Ripam defendunt, undique tela ruunt.
Ejicit in littus se Protesilaus et ipsis
Inmergit Phrygibus, nec vacat atra manus.
Non hic uxoris servavit verba monentis;
Bella gerant alii, Protesilaus amet.

---

495. Ovid. Amor. II, 11, 18:
Quas Scylla infestet, quasque Charybdis aquas.
496. Ovidii est Metam. III, 571. 501. ranunt. canunt ex margine. 502. Virgilii est Aen. III, 128. 504. Gualteri est Alexandr. II, 395. 510. littore ex marg. pro littora. Virgilii est Aen. III, 277. 521. Ovid. Her. XIII, 84.

Hectora, quisquis hic est, si sum tibi cara caveto.
Signatum memori pectore nomen habe.
Inter mille rates tua sit millesima puppis,
Dii faciant, ne tu strenuus esse velis.
Cum tamen ex foribus hic iret in arma paternis
Pes suus offenso limine signa dedit.
Vidit et ingemuit uxor tremebundaque dixit:
Signa reversuri sint, precor, ista viri.
Optio nil valuit, proprio vir strenuus idem
Oppositam primus sanguine pinxit humum.
Maxima fit strages ab utraque cohorte, cohortem
Hectoris affirmant praevaluisse tamen.
Hector pervalidum prosternit Protesilaum,
Vicimus, exclamant agmina tota Phrygum;
Graecis infausto turbatis omine gaudent
Trojani, Graecum prima ruisse virum.
Vertitur huc Hector, huc vero revertitur, Argos
Hic fugat, hic caedit, vulnera multa facit.
Hector ubi pugnat, illic victoria regnat,
Jam Grajas acies succubuisse putes.
Protinus exiliens ad fulminis instar Achilles
Dat rigido miseras hostibus ense neces.
Fugit et expavit exercitus omnis Achillem
Ad Troiam vertunt accelerando pedem.
Nox pugnam dirimit, consurgunt astra petuntque
Hi fugiendo lares, hi redeundo rates.

GRAECI PROSILIUNT IN LITTUS TROIANUM.

Vix bene purgato noctis caligine coelo
Insiliunt volucri littora Teucra pede,

---

522. 23. ibid. XIII, 65. 66. 524. ibid. XIII, 97. 525. ibid. XIII, 96. 526. 27. Ovid. Her. XIII, 87. 88
Cum foribus velles ad Trojam exire paternis
Pes tuus off. lim. sign. dedit.
529. Ov. Her. XIII, 90. 531. Ov. Her. XIII, 94.
Qui primus Danaûm Troada tangat humum.
532. Marginis scholion: pugna prima. Protesilaus occiditur ab Hectore. 541. Cod. Gragias. 548. Gualteri Alexandr. VI, 162.

Absque mora tendunt tentoria, castra figuntur
Et facta cingunt obsidione Phryges.
Hector et illustres Trojani prosilientes
Graecos invadunt, fit fragor, arma sonant.
Jam clypeo clypeus, umbone retunditur umbo,
Arcus telorum contegit imbre polum.
Se mordent enses, percellit lancea dentes,
Contudit obtectum clava trinoda caput.
Mucro per ventrem, per colla, per ilia currit,
Amplis vulneribus sanguine manat humus.
Altera pars furit in aliam feriendo, nec atrox
Pugna suum finem, quum jacet hostis, habet.
Perfoditur donec animam cum sanguine fundat
Tempore, qui moreris, quo moriare, cares.
Et modo Trojanis, virtus modo crescit Achivis;
Qui modo sperabant spe fugiente timent.
Hic volat, hic revolat geminans victoria vires,
Nunc veniendo fugit, nunc fugiendo venit.
Deiphobus necat Ascalaphum, tamen Idomenei
Trojûm non minimus Ausius ense cadit.
Concurrit Trojana manus, fit maxima caedes,
Terra cadaveribus, arva cruore manant.
Advolat interea Danaûm timor unicus Hector,
Cuius in Argolicos praevalet ampla manus.
Sternuntur Danai, currunt ad littora Teucri,
In pelago stantes igne cremare rates.

---

550. Scholion marginis: Pugna secunda. Ascalaphus occiditur a Deiphobo. 554. Similis Gualter. Alex. I, 141
Hic clypeo clypeus, hic obruta casside cassis
et Statius Theb. VIII, 398. 99
Jam clypeus clypeis, umbone repellitur umbo
Ense minax ensis, pede pes et cuspide cuspis.
557. Cod. conturit. 564. Cod. cressit. 565. Epitom. 810. 11.
Qui modo turbabant Danaos animoque fremebant
Nunc trepidi fugiunt.
568. Cod. vocat. 573. Scholion marginis: propter victoriae latitudinem.

Obsistit Telamone satus raptimque rotatam
A prima puppi sustinet ipse pyram.
Sustinet et solus defendit mille carinas,
Dejectis pridem cor revocatur item.
Rejiciunt ignem Danai, bachantur in hostem,
Sudoris rivos dat nova pugna novos.
Immo novus per membra cruor fluxisset utrimque,
Nox nisi terribilem pelleret atra diem.

PATROCLUS AB HECTORE OCCIDITUR.

Lux exorta viros in pristina bella remittit,
Flant lituis, validus perculit astra sonus.
Dardanai Danaique duces jamjamque propinquant,
A prima fronte tela nidere vide.
Concurrunt cunei, celebrant convivia mortis,
Pocula Plutoni sanguinolenta litant,
En! iterum ferus Hector adest, per devia campi
Exagitat Danaos ense secando cutes.
Caede Menotiades nimia succumbere Graios
Intuitus medios fertur in hostis agros.
Caedit, nec cedit, caedendo cadavera dedit,
Cervices jugulat ossaque fracta creat.
Et quia vir fortis armis est usus Achillis,
Una superficies corpora multa fugat.
Creditur a cunctis, nec mirum, quod sit Achilles,
Quis non crediderit, hic vir ut arma tulit.
Hector, in induviis dependit ut hic alienis,
Subsannativo clamitat ista modo:
Nemo suas vices debet transcendere, nemo

576—78. Epitomator. v. 802—4
— — — Huic validis obsistit viribus Ajax
Stans prima in puppi, clypeoque incendia saeva
Sustinet, et solus defendit mille carinas.
584. Epitomator Iliad. v. 744. 585. in margine: pugna tertia, in qua Patroclus ab Hectore occiditur. 587. pro: videre. 592. Scholion: Patroclus. 596. Cod. Achilles. 601. ex margine pro: subsannato.

Laudes alterius appropriare sibi.
Quod non es, non esse velis, quod es, esse fatere;
Displicet imprudens unde placere putat.
Cum sis Patroclus, cur te mentiris Achillem?
Scis, quod fert longam fictio nulla moram.
Scire, quid in bellis valeat fortissimus Hector,
Te volo mox; properat, hunc necat ista manus.
Hectoreas cognosce manus; nec plura locutus
Descendit juvenem despoliare ratus.
Merion ex acie corpus trahit, Hector eundem
Ad terram solitis viribus usus agit.
Hunc etiam spoliare parat; sed Mnesteus illi
Obvius Hectoreum sauciat ense femur.
Milia mulctarum prosternit saucius et iam
Grajos in turpem verterat ipse fugam.
Non erat haec pugna pavidorum, nam simul acres
Fortes, audaces hic periisse vides.

DUELLUM HECTORIS ET AIACIS.

Adveniens Telamone satus, saevissimus Ajax
Ocius objectas ampliat ense vias,
Insignem gladiō petit Hectora, quaque patebat
Nuda viri cervix, dirigit ille manum.
Ictum Priamides umbone repellere nitens
Tergum submittit, casside colla tegit.
Sed penitus non evadit, quia mucro parumper

---

603. alludit Aviani fab. V. 1. 2.
Metiri se quemque decet propriisque juvari
Laudibus, alterius nec bona ferre sibi.
604. Anon. Nevelet. p. 517. lin. 15. 605. Anon. Nevel. p. 499. lin. 5. 608. Epitomator 823:
Et quantum bello valeat fortissimus Hector.
622. 23. epitomator 605. 6.
Insignem bello petit Hectora, quaque patebat
Nuda viri cervix, fulgentem dirigit ensem.
624—633. Imitatio Epitomatoris verss. 607—617:
Ille ictum celeri praevidit callidus astu
Tergaque submisit, ferrumque umbone recepit;
Sed levis extremas clypei perlabitur oras

De clypeo labens in cute vulnus agit.
Hector in Ajacem collecto robore grandem
Transmittit lapidem sternere mole ducem.
At ferus excipiens clypeo septemplice saxum
Hectoris in corpus grande remittit onus.
Accurrunt iterum; videas insigne duellum;
Densant alterutras percutiendo vices.
Coeperat igniferum Titan immergere cursum
Fluctibus aequoreis, noxque subire polum;
Qui dirimant a caede viros mittuntur utrinque,
Non tamen hi gladios segnius ire sinunt.
Dic tu quae patria, vir strenue, quique parentes
Quae tua nobilitas, quae domus? Hector ait.
Est praeclara domus, inquit Telamonius heros,
Inclita nobilitas, stirps generosa mihi.
Filius Hesyonae sum, quae de germine venit
Laomedonteo, filia cuius erat.
Absistamus, ait, sanguis communis utrique,
Mox consanguineo parcit uterque suo;
Muneribusque datis nodo nectuntur amoris
Et vetat urendas Hector ab igne rates.

Ensis, et exiguo cervicem vulnere libat.
Acrius adversum rursus consurgit in hostem
Priamides, nec jam ferro Telamone creatum
Sed magno saxi jactu petit; at ferus Ajax
Ingentem clypeo septemplice depulit ictum,
Et juvenem saxo percussum sternit eodem.
Quem levat exceptum Grajis inimicus Apollo
Integratque animum, jam rursus ad arma coibant,
Stringebantque iterum gladios, etc.

634—36. Toto loco imitatus est Albertus Epitomen sed hos versus paene verbotenus desumsit:

Coeperat igniferos Titan immergere currus,
Noxque subire polum: juxta mittuntur, utrosque
Qui dirimant a caede viros, nec segnius illi
Deponunt animos etc. Sunt ibi 618. 19. 20. 21.

641. Cod. strips. 643. Cod. Lamedonteo. 644. depromtus ex epitom. 629.

PAX DUORUM ANNORUM.

Postera lux aderat; Graecis suspendere bellum
Et sepelire suos mens erat, idque rogant,
Adjiciuntque, duos ut sit pax firma per annos.
Pax datur, intrahitur mucro cruore satur.
Plangens subterrat Patroclum moestus Achilles,
Planctum subsequitur exequialis honor.
Magnifice sepelit Agamemnon Protesilaum
Sanguine primo Phrygum qui rubefecit humum;
Caetera, quae cecidit, sub cespite turba locatur.
Altera pars liquidis vulnera siccat aquis.
Corpora vix quaedam ferro sanantur acuto,
Auxilium multis succus et herba fuit.
Vulnera saeva nimis subsanant saepe magistrum
Interdum docta plus valet arte malum.
Una salus aliis nullam sperare salutem,
Nil praeter mortis operiendo pedem.
Pars magnas fecere pyras, et in aere nudo,
Tot, siquidem fuerant busta perusta, lotant.

HELENAM TROIANI GRAECIS EXHIBENT.

Hector stultitiam reputans tot milia morti,
Tot proceres una pro muliere dari,
In coetum vocat ille Phryges. Venere vocati.
Computat hesternae funera caedis ibi.
Nos Helenam reddamus, ait, cur sponte perimus,
Maximus in pace vivere nolle furor.
Omnibus haec placuit sententia, mittitur ergo
Idaeus Graecis exhibiturus eam.
Non placet edictum Menelao, cogitat autem
In jugulum Paridis ille movere manus.

---

648. Margo praebet: pax prima duorum annorum. 655. Cod. rubebecit. 661. Ovid. ex Pont. I, 3, 18. 662. Virg. Aen. II, 354: una salus victis nullam sperare salutem. 669. Epitom. 639: memorans hesternae funera caedis. 673. missio Idaei non Alberti sed Epitomatoris v. 638 sqq. est.

VERBA PALAMEDIS AMBITIOSI.

Coeptus ab agricolis superos devenit ad omnes
Ambitiosus honor, corda superba movens.
Moverat ambitio Palamedem, nempe tenendi
Imperii sceptrum causa momordit eum.
Verbis et dictis omnes audire volentes
Sic ad propositum provocat ipse suum.
Non bene res agitur, inquit, sunt omnia digno
Tot propter proceres jure regenda statu.
Reges, quive solent regalia sceptra tenere,
Dignis ornatos moribus esse decet.
Non sunt laudandi nisi strenuitate, valore,
Robore, consilio, dapsilitate, duces.
Sit rex flexibilis, pius, exorabilis isque
Subjectis agnus, hostibus ursus erit.
Nunquam conspicitur meliore potentia causa,
Quam quoties vanas non sinit esse preces.
Sit circumspectus rex, circumspectio regis;
Famam laude replet, res in honore tenet.
Num quid ego nostro loquor hic pro principe verbum?
Non dat ad officia singula posse suum.
Sed minus est docto quid prodest, quod gerit extra
Grande supercilium, qui nihil intus habet.
Regnum dilapidat, qui regnum rudibili dat,
Est vestire sudem sceptra tenere rudem.
Adde quod ex multis proceres regionibus adsunt,
Cumque suo venit patria quaeque duce.
Ingenium, cor, consilium, virtutis acumen
Quaelibet a proprio natio quaerit hero.
Consentire magis hi delectantur in unum
A cunctis dandum, quam reperire datum.
His verbis allexit eos, studuitque frequenter

---

676. Marginis schol. Iste Palamedes filius erat Nauplii filii Neptuni. 684 sq. conferatur Gualteri Alexandr., ubi libro primo Aristoteles officia regis Alexandro exponit. 686. laudanti. 690. e margine pro potentiae. 690. 91. Ovid. e Pont. II, 9, 15. 16. 708. e marg. pro cod. homo.

Plurima de belli proprietate loqui.
In castris est grandis ei munitio curae,
Torpentes vigiles circueundo monet.
Huic erat in signo mens sollertissima dando,
Instaurans acies bella movere docet.
Pondera cuncta velut observantissimus aequi
Taxat, et, ut cedat, falsa moneta rogat;
Et breviter cuncta voluit neglecta putari,
Si non sollicitas adderet ipse vices.
Saepe repraesentat validum se robore, sicut
Se plerumque solet effigiare pugil.
Ingenium mala saepe monet, mulcedine tali
Argolicos movit ingeniosus homo.

HECTOR TRES OCCIDIT DUCES.

Jam duo transierant elapsa pace decembres
Acriter in Martem congrediuntur item.
In Martem dixi, tum possem dicere mortem,
Dum Martem repetunt, funera mortis agunt.
Aeacides acies, Diomedes, major Atrides
Et minor educunt, hostica signa levant.
Occurrunt Graecis, Graecorum malleus Hector,
Aeneas, Troilus; hic fit et inde sonus.
Concurrunt cunei, rubefiunt sanguine campi,
Hic pes, hic humerus hic jacuere manus.
Hic latus, hic oculos, hic coxas, ille lacertos
Hic crus, hic clunes perdidit, ille pedes.
Illius, istius caput a cervice revulsum
Currere mole pilae rubra per arva vide;
Sanguineum rivum moribunda per ora fluentem
Hic bibit et semen sanguinis ille vomit.
Vix recipit largus prostrata cadavera campus,
Vivis praecludunt mortua membra locum.
Languescunt arma, non armi, sola voluntas

738. Margo: pugna quarta in qua Hector tres duces Graecorum occidit Prothenorem, Antilochum et Boetem. 735. e margine pro: oculus. 739. e margine pro: pro ore.

Brachia mucrone deficiente movet.
Lentescunt arcus, tenduntur fortiter artus,
Et quamvis jaciant jacula corda volant.
Hic fortes quasi grando ruunt, furor arma ministrat,
Mors fluit in plebe more fluentis aquae.
Impiger Antilochus, Prothenor itemque Boetes
Tres a solius Hectoris ense cadunt.
Certe pro timidis intercessere tenebrae.
Rex jubet in proprium quemque redire locum.

CONIURANT GRAECI OMNES IN HECTORIS MORTEM.

Nocte vocat proceres Agamemnon et inter eosdem
Coepit de belli volvere verba statu.
Ecce videtis, ait, quod nostrae gloria gentis
Jam cadit ob validos, qui cecidere, duces.
Quotidie ruimus: ruit illico Prothesilaus.
Est ubi Patroclus? mortuus Antilochus.
Et quid de valido Prothenore, cuius in armis
Mens animosa fuit, quidve Boete loquor?
Non mihi, si linguae centum sint, oraque centum,
Amissos proceres enumerare queam.
Et quod de plebe perierunt milia plura,
De numero vulgi mentio nulla mihi.
Venimus ad Phrygios ulcisci probra colonos,
Tractamus per aquas proficiendo nihil
Dum loquor; ecce trahunt rigidas suspiria fibras
Et bibit interior omnia verba dolor.
A solo patimur hoc dedecus Hectore, Graecas
Solus, proh facinus! vir secat iste genas.
Consilium praebete, duces, audite, quid isto
Jam super articulo sim meditatus ego.
Hectoris in jugulum ferventis tota juventus
Dorica conspiret. Dixerat, idque placet.

---

748. more fluent. aq. Ov. Ars III, 62. 752. e margine loc. pro: suum.

HECTOR ARGUIT PARIDEM.

Titoni croceum linquens Aurora cubile
Luce smaragdinea laetificavit humum.
Hector et Aeneas procedunt, ala Quiritum
Subsequitur, sequitur tota juventa Phrygum.
Pulcher Alexander etiam capitaneus astat
Hujus imago mali certa ruina boni;
Cujus tot procerum transfixit colla libido.
Tot mala, tot mortes fecit iniquus amor.
O! utinam, tunc cum Lacedaemona classe petebat,
Obrutus insanis ille fuisset aquis.
Esset adulterio praeclara nociva libido
Mansissetque viro foemina fida suo,
Nec successissent homicidia tanta, nec orbis
His foret afflictus Martis amore mali;
Sed nec in historia Trojana tot vitiasset
Nullo subjecto fabula fulta libros.
Urbs populosa tamen hodie fortasse maneret,
Praecepto, Priame! si foret usa tuo.
Occurrunt Danai, Menelaus in agmine primus
Instaurans acies bella movenda monet.
Fortis et acer erat, variare labantia corda
Noverat, haud fugiens hostica terga fugat.
Rivalem patienter habet, prope denique stabat;
Non livet, mordet, lumina torva tenet.
Ad socios vibrando caput se vertit acerbe,
Tamquam de rapta conjuge verba daret.
Conscius ipse sibi de se putat omnia dici
Et pede retrogrado fingit abire quasi.

---

775. est Virg. Aen. IV, 585. IX, 460. Georg. 1. 447. 776. Margo: Pugna quinta. In qua Menelaus et Alexander, qui dictus est Paris, congrediuntur et Menelaus vulneratur. 783. 84. Ovidii Heroid. I, 5, 6. ubi tamen: esset adulter aquis. 786. viro. viro., nos viro suo. 788. amare. 792. Margo: Praeceptum Priami fuit ut traditores urbis occiderentur. 794. cod. monenda. 801. Caton. Distich. I, 17.

Confusum videt Hector eum; proh dedecus, inquit
Aeternum patriae! cur ita terga refers?
Magnae virtutis victoria quae mulierem
Ad nos imbellem multa per arma tulit!
Tu jaceas in amore tuo, nos bella sequamur,
Sintque tibi vigiles artus, et arma tibi.
Tu ne puellarum sectaberis oscula, sicut
Fortis equus validae semper adhinnit equae.
In bellis imbellis eris? nos fortibus armis,
Fornicis, ut pauses, stabimus ante fores.
Hic animos ostende tuos, Mars non speciosis
Immo robustis dat sua signa viris.
Aequius in gladio tecum turnabit Atrides,
Cujus ad officium praeparat ille suum:
Quid nimis indignis, ait hic, me vocibus urges,
O frater, patriae gloria sola tuae?
Non vires temptare viri non arma recuso,
Dum modo qui vincat, praemia pacta levet.

803. Epimator 256 sqq.
Confusum terrore videt, Proh! dedecus, inquit
Aeternum patriae, generisque infamia nostri
Terga refers?
807. jacias. Epitomator 264
Dum jaceas in amore tuo, nos bella geremus
810. Ov. Remed. 634.
Fortis equus visae semper adhinnit equae.
812. Margo: fornix, domus prostibulum inde fornicor. aris.
813. 14. Epitomator. 262. 63.
Hic animos ostende tuos, nil adjuvat arma
Nobilitas formae, duro Mars milite gaudet
815. Epitom. 266.
Aequius adversis tecum concurrat in armis
Impiger Atrides.
816. illa. 817. 18. margo. respondet Paris Hectori fratri suo. Epitomat. 272. 73.
Quid nimis indignis, inquit, me vocibus urges
O patriae, germane, decus?
819. 20. Epitomator 275. 76.
Nec vires dextramque viri tentare recuso
Dummodo victorem conjux cum pace sequatur.

HIC*) PARIS TRAHITUR PER CRINES CIRCA CAMPUM.

Strages interea fit maxima, nulla profecto
Otia dat bello, saevit ubique mucro.
Alter Homerus ero vel eodem major Homero
Si tibi subnumero corpora strata ferro.
Advolat in Paridem Menelaus, at ille resumptis
Viribus obsistit, acer uterque fuit.
Concurrunt, stridetque mucro mucrone corusco
Virque viri vires inferiendo probat.
Cumque Paris totum se colligit in Menelaum
Per femur effecto vulnere figit eum.
Acrius instabat memor impietatis Atrides
Et stricto gravius inpetit ense virum.
Ictibus innumeris tandem compulsus adulter
Inchoat incestum retro referre pedem;
Quem sequitur rigido Menelaus in agmine ferro,
Illius enisus ense secare caput.
At sua non semper sequitur primordia finis;
Orba fit ense manus caedis avara nimis.
Non ideo juvenem, quamvis mucro lapsus abisset,
Desinit, arreptum crine per arva trahit.
Huic erat adjutrix Ajacis dextera Locri,
Aurea caesaries pulverulenta jacet.
Clausisset Paridis oculos lux ultima, si non
Hector ei celerem continuasset opem.
Aeneas clypeo tegit illum, deinde levatum
Ilion inducit, hoc duce tutus abit.
Cernentes reliqui, quod sol traheretur ad undas,
Acrius arma movent, ne pigritando vacent.
Nox nigra caecat humum, opescens funere bellum
Non repetunt solitos corpora strata focos.

*) Proelium hoc nostri simillimum Epitomatoris est, 280 sqq. 823. Exid. Trojan. 235.
827. ex margine pro: studet. Epitomat. 296
Conjungit, stridet mucro mucrone corusco.
837. Similis Ovid. locus Met. VII, 518.
Flebile principium melior fortuna secuta est.

LIBER TERTIUS.

INCIPIUNT CAPITULA TERTII LIBRI.

Tertius, a specula speculatur sextaque pugna
Surgit eamque sequens decies manet octo diebus.
Pax tribus est annis. Pugnant. Pax mense secuta est.
Nona dies pugna iteratur per duodenos.
Pax per tredenos. Hic somnia strenuus Hector
Despicit uxoris, quem saucius occidit Achilles.
Pugna. Duos menses est pax. Fit rex Palamedes.
Triptolemum sternit Sarpedon. Pax datur anno.
Aufert Pelidae pugnare Polixena. Pugnant.
Deiphobum perimit Palamedes et Paris ipsum.

EXPLICIUNT CAPITULA.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

HELENA E MURO SPECULATUR.

Quam timor obnubit, non est sincera voluptas;
  Res est solliciti plena timoris amor.
A specula speculum speculans inamabile belli
  Turba puellaris stat gemebunda satis.
Operiebantur eventum Martis et ad quem
  Bellonae victrix ala volare velit.
Hic pro dilecto gemit anxia quaeque marito,
  Corpore vir pugnam, corde puella parat.
Stabat et hic Helena speculando duosque maritos
  Ictus horrisonos alterutrare videt.
Plus in adulterio tanquam lasciva favorem
  Quam sibi concesso ferverat illa thoro.
Nitimur in vetitum semper cupimusque negata,

---

6. superscriptum verbo: occat. 7. Pugna. Superscriptum „fit".

1. Anonym. Nevellet. p. 495. lin. 9. 10:
Quam timor obnubit non est sincera voluptas
Non est sollicito dulcis in ore cibus.

2. margo: ideo hoc dico quod res. Ovidii est. Heroid. I, 12. 12. firmat. 13. Ov. Amor. III, 4, 17.

Foemina praecipue, quae prohibentur, avet.
Non es Alexander, Priami pulcherrima proles,
Territus his una pro muliere malis;
Una nec unius est, cui non sufficit unus,
Pluribus in vita non caret una nota.
Aror amore tui, sic et Menelaon amavi,
Theseus huic pater oscula quarta dedit.
Sic facie quamvis insignis, adultera certe est,
Laesa pudicitia, deperit illa semel.
Insanit totus propter te, lubrice, mundus;
Causa pudenda tua est, justa vir arma movet.
Sis voti compos, per te moriatur Atrides,
Graecia vel redeat, vel superata cadat;
Sub domina meretrice sedes vesanus et excors
Foedi tabe canis vel mage sorde suis.
Foemina, quae fallit, exemplo discat in isto,
Foemineae fidei non adhibere fidem.

HELENA PARIDEM ALLOQUITUR.

Pro reditu laetatur adulter, adultera vero
Est pro suscepto sospite laeta viro.
Hoc modo: o juvenis! o delectissime miles!
Quomodo tam poteras immemor esse mei?
Vidi, pertimui quod erat tam tempore longo
Conjugis antiqui dextra magistra tui.

---

14. marginis scholion. av. cupit. 18. e margine pro: in nita non caret ima. 19. amavi pro amavit. Versus Ov. Her. V. 105. Ardet amore tui, sic et Menelaon amavit. 21. Ovid. Her. V. 125. 22. Ex Ovid. Her. V. 104: laesa pudicitia est, d. i. semel posuimus pro nostri semet. 24. Ov. Her. V, 98. 30. alluditur Aviani I, 16:

Foemineam quisquis credidit esse fidem.

Alanus parabol. 16. „non est in muliere fides“ et apud Petron:

Namque est foeminea tutior unda fide.

31. conferendus Epitomator v. 320 sqq. qui iisdem fere vocabulis usus est. 34. Ov. Her. XV, 106 ut nolles immemor esse mei. 36. conjugis antiqui Virg. Aen. IV, 458. Epitom. 321.

Per femur illius vidi transire sagittam,
Debueras ejus tunc terebrasse gulam.
Cumque tuos vidi foedatos pulvere crines,
Fugit corde calor, fugit ab ore color.
Ne tua fata suae credas de cetero dextrae,
Sin potes extremos anticipare dies.
An nondum vaga fama tuas pervenit ad aures
De virtute viri, quam leve robur ejus?
Apta magis Veneri sunt, quam tua, brachia, Marti.
Bella gerant alii, tu sociare mihi.
Non sum victus, ait; huc me victoria duxit;
Saucius ille redit, nulla trophaea gerit.
Dixerat; et nitidis circumdat colla lacertis
Oscula dant cupidi. Cetera nolo loqui.

HIC ORITUR SEXTA PUGNA INTER GRAECOS ET TROIANOS.

Mane rubescebat stellis Aurora fugatis,
Vanescit rubeo Marte fugata quies;
Aiacides Danaûm vexillifer et Diomedes
Illius est acies sollicitare comes.
Inperterritus his et inexpugnabilis Hector
Obviat, Hectorea brachia voce parat.

---

39. Epit. 323: Iliacoque tuos foedaret pulvere crines.
40. Ov. Her. XI, 27. fugerat ore color. Epitomat. 326
Fugerat ore color, sanguisque reliquerat artus.
41. Epitom. 329. 30. ne rursus iniquae
Illius tua fata velis committere dextrae
434. Epitomatoris v. 328. 29. est. 45. 46. Ovid. Her. XVII, 253. 254. B. g. fortes: tu Pari semper ama. et Ovid. Her. XIII, 84. Bella gerant alii, Protesilaus amet.
49. 50. extensius epitomator 336 sqq.
Posthaec amplexu per mutua corpora iuncto
Incubuit membris Cygneidos; illa soluto
Accepit flammas gremio Trojaeque suasque.
51. Virg. Aen. III, 521. — Margo: Pugna VII. in qua Hector VII duces Graecorum occidit, et Achilles quattuor Trojanorum et Aeneas Merum*) et Amphimachum et Diomedes Xantippum.
*) Dares nominat Nireum.

Aeneus Aeneas, cujus caput aenea cassis
Protegit, in Phrygibus firma columna fuit.
Hi duo Trojanos educunt, illico portis
Erumpunt, Graecis obvia signa gerunt.
Concurrunt pariter, sonat ictibus arduus aether,
Umbrificant nitidum spicula missa polum.
Mille modis mortis miseros mors una trucidat,
Una morte mori sit quasi turpe sibi.
Per gladios, per balistas, per tela, per enses
Invitant mortem, dat quoque clava necem.
Casside tecta licet, secat ora, facitque potenter
Per medium ventris ferrea cuspis iter.
Hic jugulant, hic exoculant, hic dorsa cruentant,
Hic facies lacerant, unguibus ora rigant.
Maxima fit caedes hominum, nec dicere possum,
Perfundat nimium quomodo sanguis humum.
Fulminat ense suo vel in armis utilis Hector
Ense secat Danaos, ense rubricat agros.
Dum sic insanit, insani viribus obstant
Elpenor, Palamon, Schedius et Dorius.
Auxiliantur Epistrophus atque Polyxenus illis.
Sexque fuere duces, septimus Orcomenus.
Hectoris hi vires attemptavere, sed Hector
Fata suprema suos his dedit ante pedes.
Euphemus et Pyleus bona confidentia Troium
Hippicus, Astoreus, his quasi murus erant,
Sternebant Danaos. At fulgur Martis Achilles
Ignea Plutonis ad vada mittit eos.
Aeneae ferro confessus, arundine Merus

57. Aeneus Aen. pro codicis Aeneas Aeneas. 76. Nomina ducum nominat Dares: Orcomenum, Jalmenum, Epistrophum, Schedium, Elephenorem, Diorem, Polyxenum. 81. Hos nominat Dares: Euphemum, Hippothoum, Pylaeum, Asteropaeum. Noster Euphenus et Phileus. 84. vada pro cod. nata. 85. ferro e margine pro peru in quo „veru“ videtur latere sed prima huius verbi syllaba brevis est ut Virg. Aen. VI, 665 Et tereti pugnans mucrone veruque Sabello docet, quapropter „ferro“ e margine recepimus.

Ejusdem manibus occidit Amphimachus.
Xantippus Mnestorque duces hinc inde volantes
Graecos debilitant ensibus, immo necant.
Ocius occurrit Diomedes quumque maritat
Ocrea loricae, perforat ense duos.

GRAECI AD CASTRA REVERTUNTUR PROPTER ONUS BELLI.

Tot doluit cecidisse duces et pondera belli
Acrius Atrides incubuisse sibi.
Bellum retraxit revocans in castra Pelasgos;
Trojani Trojam fausta canendo petunt.
O! proceres, Agamemnon ait, cecidisse super nos
Belli totius grande videtis onus.
Unda labilior fortuna, fugacior aura
Forte cito nostram ducit ad alta rotam.
Nulla dies adeo est pluvialibus obsita nimbis,
Non intermissis quod fluat imber aquis.
Non Aurora diem sed laudat vespera, frustra
Principium celebras, omnia fine legas.
Causa jubet melior superos sperare secundos;
Non habet eventus sordida praeda bonos.
Troja modum teneas nondum tibi desinit hostis,
Crastina sit, nescis, quid paritura dies.
Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,

87. Dictys nominat Mesthlem. 97. 98. Eleg. de fortuna (Wernsdorf, p. min. vol. III) v. 81. 82

Tuta nec in solido rerum Fortuna favore est,
Cum minime credas, impulit illa rotam.

99. 100. Ovid. e Pont. IV, 4, 1. 2.

Nulla dies adeo est australibus humida nimis
Non intermissis ut fluat imber aquis.

104. Ov. Amor. I, 10, 48. 106. Luc. Phars. III, 594. nec lux est notior ulli, crastina. — Hor. Od. IV, 7, 17.

Quis scit, an adiciant hodiernae crastina summae
Tempora di superi?

107. 8. Ovid. Pont. IV, 3, 35. 36.

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo:
Et subito casu, quae valuere, ruunt.

Multa levata diu cerno ruisse cito.
Tu, quoque fac timeas; et quae modo tuta videntur,
Dum loqueris, fieri tristia posse puta.
Victorem victo succumbere saepe videmus,
Saepe creat molles aspera spina rosas.
Ergo viri fortes animum resumite, pulchro
Possimus initium vincere fine malum.
Strenuitas hostis haec gaudia contulit hosti,
Ille furendo ferit et feriendo furit.
Cernitur in manibus imanibus arma tenere
Et nobis instat hac ratione dare.
Laetius est, magno quotiens sibi constat, honestum;
Virtus si non est ardua, laude caret
Par labor atque metus pretio majore petuntur,
Ardua per praeceps gloria vadit iter.
Blanditiis indignus erit mollique potiri
Fortuna, si quis nescit amara pati.
Corde leonino fortem curramus in hostem;
Si leo tu fueris, mox erit ille lepus.
Nec prius extenta retrahamus brachia, donec
Sentiat optatum nostra querela diem.
Constantes animi superant incommoda belli,
Eventum validi, non proba facta probi.
Est tamen, ut recitem, exercitus et numerosus,
Quem mittet Telephus inveniendo novus.

---

108. Margo: ideo speramus deos nobis propitios quia causa nostra iustior, quia non juste deportavit Paris Helenam, et scio quod sordida praeda non habet bonos eventus. 109. 10. Ov. Pont. IV, 3, 57. 58.

Tu quoque fac timeas; et, quae tibi laeta videntur,
Dum loqueris, fieri tristia posse puta.

109. Tu. superscriptum „Troja". 112. Ov. e. Pont. II, 2, 34. 114. e margine pro: malo. — Margo pro interitum praebet initium quod quanquam metro non apte conveniat tamen recepimus quia poetae mediae latinitatis primam hujus verbi syllabam imprimis in arsi producebant. 119. Luc. Phars. IX, 404. 120. Lucan. Phars. IV, 576: quam sit non ardua virtus. 121. Lucan. Phars. I, 282. 122. Ovid. Trist. IV, 3, 74. 123. Gualt. Alex. I, 495. 96. Blanditiis . . . . potiri
Fortuna, qui dura pati vel amara recusat.

Postera lux tacitas ut primum depulit umbras,
Depellunt omnem bellica signa moram.
Tota super castra clangit rex Graecus: „in arma"!
Ensibus Argolicum cingitur omne genus.
Erumpunt omnes, ut eant in proelia, Troes;
Cum cane custodit servus et ava lares.
Respicies hostes quasi torvos stare leones
Et quasi distorto lumine ferre minas.
Clangebant lituis, tellus irata reclangit,
Ungula suppositum vertit equina solum.
Agmina concurrunt, clamor conscendit ad astra
Aere concusso, strage, fragore, sono.
Telorum volitant cunctis e partibus imbres,
Contis et gladiis non datur ulla quies.
Quot mala, quot caedes, fracturas, vulnera, mortes
Mars ibi conficiat, quis numerare queat?
Festum festucae facio, si mille ruisse
Dixero, si multa millia verba fero.
Quicquid in orbe legis belli vertigine factum,
Hujus ad intuitum crede fuisse parum.
Corpora strata jacent in sanguine, sanguis abundat,
Sanguinis in rivo membra resecta natant
Sanguinis in fluvio merguntur corpora multa,
Mortua quae non sunt, sed moritura, cadunt,
Nox pugnam dirimit, sed eam lux orta reducit,
Nox iterum dirimit, luce patente redit;
Tertia nox dirimit, sed item lux orta reducit,
Quarta nox dirimit luce patente redit.
Sic quinto, sic et sexto, sic septimo, sicque
Octavo, nono sic etiam decimo.
Immo bis decimo quater inter multiplicato
Primum cessavit effera pugna die.
Octoginta quidem duravit continuatim
Non intercesso tempore pugna dies.

---

133. Epitomat. v. 156. 139. respiciens. 141. Margo: pugna vij Lxxx dier. 149. Margo: parvula dico, i. e. parva, festuca est res levissima. 154. natat. 159. tertio.

Ad pausas a strage manus tunc primo vocatur,
Vaginas veteres induit ensis hebes.
Trojani Trojam subeunt sudore nigrati,
Sanguine conspersi, debilitate pigri.
Castra petunt Graeci Phrygibus, si singula penses,
Sanguine, sudore, debilitate pares.

VERBA REGIS GRAECORUM.

Rex Danaûm loquitur: Trabeatis esse cruentum
In bellis vitae continuare statum.
Interea queritur, quis tantae pondera molis
Semper vel valeat vel tolerare velit.
Millia multa, refert, e nostris strata videtis
Intumulata jacent, quis sepelire potest?
Lunam consiliis, solem consumimus armis,
Et nunquam proceres absque labore sumus.
At qui vis coelo tegitur, qui non habet urnam,
Sarcophago solis, plus valet urna soli.
Mortua defosso clauduntur membra sepulchro,
Ne laedat vivos tabe soluta caro:
Unde decet, nostros ut subterremus amicos,
Cum quibus et quando? quomodo? tempus abest;
Nilque referre scio, tabes ne cadavera solvat,
An rogo urentur tempore quo vel ubi?
Vulneribus fieri deberet docta medela,
Docta sed et subita damna trahente mora.
Vidi, quod fuerat primo curabile, vulnus
Dilatumque morae damna tulisse suae.
Si minus edoctus tractaverit illa chirurgus,
Sors mala vel pejor pessima forsan erit.

---

173. Margo: trabeatis i. e. nobilibus vel principibus quia trabea est vestis principum. 181. Luc. Phars. VII, 819: coelo tegitur, qui non habet urnam. 191. 92. Ov. Remed. 101. 2. Vidi ego, quod primo fuerat sanabile, vulnus
Dilatum longae damna tulisse morae.
192. Dilatum ex Ovidio pro nostri Vilatum posuimus.

Curando fieri quaedam majora videmus
Vulnera, quae melius non tetigisse fuit.
Sunt etiam naves reparandae. Nonne videtis,
Semper eas vastis quod quatit Eurus aquis?
Et cito deficient alimenta, cibaria; multi
Temporis assiduus debet habere labor.
Est etiam modicus exercitus, et quia bellum
Forte diu stabit, major habendus erit.
Non poterunt ista fieri nisi mente serena
Et bene secura, nec nisi pace data.
Ergo requiramus pacem, pacemque triennem;
Tempus ut obtineant promemorata ratum.
Dixit et ad Priamum confestim mittit Ulixem
Cum Diomede loqui verba priora sibi.

NUNTII AGAMEMNONIS VENIUNT IN TROIAM.

Nox erat et Trojam latitanter nuntia vadunt,
At sua, forte quis his obviat, arma ferunt.
Immo Dolon occurrit eis e Troibus unus;
Quaerit, quo medio tempore noctis eant,
Et sic armati; nocturna negotia, dicit,
Armaque jure notam suspicionis habent.
Vadimus ad Priamum, respondent, pauca referre,
Quae per nos loquitur rex Agamemnon ei.
Trojanos quod prodiderit, mentitur Homerus,
Quod sit istorum perditus ense Dolon;
Dicit, dum fuerat scrutari missus Achivos
Donec transierit, delituisse duos.
Captus ab his Troûm recitat secreta duobus
Insinuans per quod ingrederentur iter.
Maxima Troja mihi currum promisit Achillis,
Intulit, Argolicae si caperentur opes.

---

195. 6. Ov. Pont. II, 7, 25. 26. 205. Marg. triennem. Msc. trientem. 214. Marg. notam. Msc. nonam. 217. mentibus. Homerus. Noster Epitomatorem hoc nomine significat, apud quem haec v. 704 sqq. narrantur. 223. Epitom. 720. 21.
Maxima Troja mihi currum promisit Achillis
Si vestras cepisset opes.

Hos etiam subiisse refert tentoria Rhesi,
Quem perimunt, praeda nec rediisse levi;
Hos rapuisse simul, quos nulla perire sagitta
Posset, nubigenos hic memoravit equos.
Crediderim sic dicenti? quis nube creatos
A primo mundi tempore vidit equos?
Non miror! majora movet mendacia bello,
Isti quum duos narret adesse deos;
Pro Pelide Thetis pro Graecis Iuno fatetur
Et quod pro Paride moverit arma Venus.
Praeterea recto non cecinit ordine bellum,
Aut a militibus, qui cecidere, quibus.
Hanc quoque materiam figmenta poetica nebant,
Sicut Virgilius arma virumque canens.
Sed Phrygii tenet historiam liber iste Daretis
Qui praeter verum scriptitat inde nihil.
Hunc sequor, adjiciens interdum verba virorum,
Quaeve loquebantur vel potuere loqui.
Ponatur quod et hi non sint ea forte locuti,
Causae praesentis sunt tamen apta rei.

VERBA ULIXIS ET SUI SOCII AD PRIAMUM.

Intrant ad Priamum socii duo, servat Ulixes
Stemata verborum, verba notata movens.
O princeps Trojane! tuas nos mittit ad aures
Graecorum ductor, ejus ab ore loquor.
Rex bone! si sapiens es, sicut fama fatetur,
Non est bellandi maxima cura tibi!
Sufficit in magna: medium tenuere beati,
Praecipites ducum saepe tulere diem.

225. subuisse. Narratio de Rheso ejusque equis invenitur apud Epitomator. v. 730 sqq. 232. melius fortasse
Illi quum divos narret adesse duos
249. es marginis pro codicis ejus. 251. med. ten. beati. Haec sententia, qua noster primum usus fuisse videtur, transformatio Ovid. Metam. II, 137 medio tutissimus ibis est; invenitur in: aphorismi et axiomata selecta. Altdorf 1745. 49. 252. Senec. Agam. 71 Praecipites regum casus
Fortuna volat.

Denique non semper congressus habendus in hostem
Danda quidem membris est aliquando quies.
Grata fit unda siti, requies est apta labori,
Vomere continuo lassa senescit humus;
Quae caret alterna requie non durat et arcus
Si nunquam cesses tendere, lentus erit.
Est modus in rebus, medio tutissimus ibis,
Serpit humi tutus interitumque vetat.
In feritate feras docuit natura manere,
Ut dictat ratio, vivere debet homo.
Nobilis in rege clementia, quae facit, ejus
Ut mens ducatur ad pietatis opus.
Dicimus hoc quoniam magnorum magna virorum
Sunt in despecto membra locata loco.
Immo suo corrupta jacent in sanguine; nonne
Haec mala pro patriae sustinuere fide?
Nunc inhumata jacent; erit his haec ultima merces,
Quod rabido rodent corpora dente canes?
Est ea pro nostris tantum querimonia? Vestri
Quibunt ut nostri tabe perire pari.
Debent funeribus sepeliri jure decoris,
Pro dominis vitam qui posuere suam.
Ergo para nocuis frenum, rex! indere bellis,
Ultimus ut solvat mortua membra cinis;
Et qui iam multis bellum tenuere diebus
Pausent et laeti dona quietis agant.
Si spatium rex scire velis, stet pax tribus annis,
Decurrent illi tempore valde brevi.

255. et pro es. Ov. Met. VII, 812 requies erat illa labori. 256. Ov. Amor. III, 82. continua messe senescit ager. 257. Ov. Her. IV, 89.
Quod car. alt. req., durabile non est.
258. Ov. Heroid. IV, 92. s. n. c. t. mollis e. 259. compositus ex Horat. Serm. I, 1, 106 et Ovid. Metam. II, 137. 260. Hor. A. P. 28. S. h. t. nimium timidusque procellae. — vetat pro cod. volat. 272. „pari“ marginis, pro codicis „pati“. 275. para pro cod. paro. „nocuis“ e marg. pro cod. „nocius“.

VERBA HECTORIS AD ULIXEM.

Tempora longa tenet Hector suspecta, revolvens
Cur peterent annis ponere bella tribus.
Verba gerundiva pacis praetenditis, inquit,
Exteriora patent, interiora latent.
Nos scimus, quantum bonus es recitator Ulixes,
Os aperis, intus pectora clausa geris.
Si tibi vis credi, prius exue suspicionem,
Nam solet excludi suspicione fides.
Iure mihi suspectus eris, treugas tribus annis
Quod pro defunctis intumulando petis.
Laomedontiades Trojanis ista vocatis
Intimat, inquirens quomodo vel quid agat.
Communis consensus erat in pace trienni;
Qui tulerant verbum, mox rediere domum.

PACEM TRIENNEM REFERUNT LEGATI GRAECIS.

Legati responsa ferunt: Agamemnon in unum
Accitis Graecis, singula narrat eis.
Ite, refert, campisque viros sepelite jacentes,
Mors est facta quibus indubitata fides.
Primo sole solum feriente feruntur in altas
Occisi fossas, plebs rigat ungue genas.
Subterrant etiam Phrygii sua funera, tellus
Parvula quos refugit, maximus ignis edit.
Moenia Trojanus, Argivus vela resarcit,
Trojanus muros Argolicusque rates.
Praecipit annonam medio rex tempore ferri,
Ut procuretur copia multa cibi.
Undique colligitur exercitus, arma novantur,
Bellicus, advehitur omne, quod usus avet.

---

282. e margine: peterent pro codicis „ponerent". 291. pro codic. Laocedontiades. Margo Laom. Priamus. 293. Margo: Pax secunda trium annorum. 299. marg. altas. profundas fossas. 300. Cod. ples. ugue. 302. margo: quia terra non suffecit eis ad sepeliendum. 307. margo. desiderat.

Pace resultantes tres partivere Decembres,
Erumpunt iterum bella minando Phryges.
Trojanas acies Troilus producit et Hector
Memnon et Aeneas quatuor unus apex.
Rex Agamemnon eis occurrit cum Menelao,
His erat Aeacides cum Diomede comes.
Buccina mugitum dat in aere, terra remugit,
Horrisonas voces clamor et horror agit.
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum,
Fortiter appropiant, spicula mille volant.
Dentea cristatum confringit clava galerum,
Transit per medias lancea longa gulas.
In belli capite volat invictissimus Hector
Grajugenum fortes interimendo duces;
Merionem prosternit humi perimitque Philippum
Ejus et Antippus inclitus ense cadit.
Fulgurat in Phrygios Graecorum murus Achilles,
Euphorbum procerem sternit ad usque necem.
Ecce Lycaon adest Troûm non infimus heros,
Quem subito prensum casside jecit humi,
Jecit et in ventre capulotenus abdidit ensem,
Nec dedit horrorem Troilus inde levem.
Parte cadunt ab utraque viri, de plebe ruisse
Millia non pauca dinumerabis ibi.
Acriter utrumque pugnatur et ipsa trecenos
Narratur pugna continuasse dies.
Tum vero Priamus tot totque cadavera Troûm
Viribus Argivûm strata iacere videt,
Suspendi petit ab Agamemnone pondera belli
Artus exanimes depositurus humi.

---

309. margo: anni pars pro toto: Hor. (Ep. I, 20, 27)
Me quater undenos sciat implevisse Decembris.
312. Margo: Graecorum pugna VII, in qua Hector occidit tres duces Merionem Philippum et Antippum; et Achilles occidit duos duces Trojanorum videlicet Euphorbum et Lycaonem. 317. notus Virgil. Aen. VIII, 596. locus, Gualter. Alexandr. libro quinto imitationem habet:
Cornipedum pedibus putrem terit ungula glebas.
324. Margo: pugna XVIII dierum.

Pax per sex menses stabilitur et omne peremtum
Talparum recipit in regione thorus.

DE PUGNA DUODECIM DIERUM.

Septima surgebant orientis cornua Lunae,
Surgere continuo bellica signa vide.
Pugnatur. Durat duodenis pugna diebus
Sanguine caesorum lata rubescit humus.
Quid juvat assidue clavas, quid tela, quid enses,
Quid mortes, mortis quid numerare modos?
Aut seriem scindet stilus aut fastidia gignet,
Si necis omne genus enumerare volet.
Ad Priamum mittit Agamemnon eumque precatur
Ut per terdenos obseret arma dies.
Concedit Priamus, clauduntur busta sepulcris,
Turba salutiferam saucia quaerit opem.
Non est in medio semper, relevetur ut aeger;
In cura quadam vulnera morte ligant.

DE SOMNIO ANDROMACHAE UXORIS HECTORIS.

Luna semel latuit, toto semel orbe recrevit,
Pax abit et populus rursus in arma ruit.
Pugnandum de mane fuit, cum nocte sub ipsa
Hectoris Andromache somnia dura videt.
Me, moerens ait illa viro, jam tempore pausae
Terruit in somnis visio valde gravis.
Ad fera bella precor hodie descendere noli,
Sit tibi cura mei, sit tibi cura tui.

---

339. Margo: Pax tertia sex mensium. 342. Margo: Pugna IX, XII diebus. 347. Cod. stilus scindet. 350. Margo: Pax quarta triginta dierum. 353. Margo: quare dum adhibetur eis cura per medicinam non evad. mortem. Ov. e. Pont. I, 3, 17. 18

Non est in medio semper, relevetur ut aeger.
Interdum docta plus valet arte malum.

355. Ovid. Her. II, 5

Luna quater latuit; toto quater orbe recrevit.

Somnia ne credes, ait Hector, fallere norunt,
Re super hac nemo debet habere fidem.
Omnia quae sensu volvuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies.
Venator defessa thoro cum membra reponit,
Mens tamen ad silvas, ad sua lustra redit.
Quod timet aut sperat aut quod meditatio format,
Quod pausando jacet, saepe videre solet.
Femina, quando suus vir in anxietatibus haeret,
Hoc videt in somnis, quod vigilando timet.
Frivola vidisti, muliebrem pone timorem,
Flectere non debet cor muliebre virum.
Ad Priamum mittit; fac rex, petit illa, maritus
Hac vice ne Martis experiatur opus.
Rex Paridem jubet et Helenum Troilumque vocari;
Memnon et Aeneas concomitantur eos.
Vos acies aptate, refert, ne exeat Hector,
Effectum capiant ut mea verba, precor.

ANDROMACHE DISSUADET BELLUM HECTORI.

Hector ad Andromachen ira mediante cucurrit,
Arma poposcit et haec obstupefacta stetit.
Astyanacta rapit, reputans quod filius illo
Posset ab dicto cor revocare patris.
Detegit hunc ajens: tua forma, tenerrime fili!
Patrem compescat, ne modo bella gerat.
Se pater ad puerum submisit, amore paterno
Parvo conatus oscula parva dare.

---

363. Cato. Dist. II, 71.
Somnia ne cures; nam mens humana quod optans
Dum vigilat, sperat, per somnum cernit id ipsum.
365—368. depromti Claudiani carmine XX v. 1—4. 369. 370. imitatio Claudiani XX, 7—9
Furto gaudet amans, permutat navita merces
Et vigil elapsas quaerit avarus opes.
Blandaque largitur frustra silientibus aegris
Irriguus gelido pocula fonte sopor.
373. muliebrem pro cod. muliebreme. 374. muliebre pro cod. muliere. 383. Margo. Astionas filius Hectoris.

Infans vero caput ad matris pectora flectit,
Effugit insolitas cor puerile manus.
Cumque tenella pater parvo daret oscula; patris,
Quando vir fueris, sis imitator, ait.
Propositum tenet ille tamen, licet esset inermis,
In medios hostes jam ruiturus erat.
Ejulat Andromache, laceratis ungue capillis
Plancta foemineo concitat illa domum.
Ad Priamum properat; rex invictissime! clamat,
Regia sollicitum forte tenebat herum.
Sunt mea suspecta mihi somnia, somnia suadent,
Hector ut hic maneat, nec modo bella petat.
Non illum mea verba movent, non filius infans
Pro me prostratus jam patris ante pedes.
Hac vice ne pugnet hodie, rex optime, manda!
Accito Priamus Hectore fatur ita:
In bellum Troja committitur, exeat; Hector!
In tantum maneas, nolo quod arma feras.
Iam fragor armorum, jam clamor sidera pulsat,
Cornua concrepitant, concava saxa sonant.
Flant lituis, clangore gravi contunditur aer,
Pulsibus innumeris terra coacta tremit.
A clypeo clypeus confringitur, ensis ab ense,
Conti compugnant, ligna fragore crepant.
Iam nihil audiri poterat nisi clangor et horror
Cum strepitu clamor, cumque furore fragor.
Respondere nequit tot vocibus echo sonoris,
Quot sonat in rebus bellica lingua modis.
Instaurat cuneos Graecorum turris Achilles,
Ajax Locrus ei cum Diomede comes;
Provocat egregios Atrides ipse Pelasgos
Fortes se sternunt, vulnera larga fluunt.

---

389. matris pro cod. membris. flectit pro flecti. 407. margo: Pugna X in qua Achilles occidit Hectorem. Similis locus Gualteri Alex. III, 1 sqq.

Iam fragor armorum, jam strages bellica vincit
Clangorem lituum, subtexunt astra sagittae
Missiliumque frequens obnubilat aera nimbus.

Hectora cernentes minime prodire Pelasgi
Insistunt Phrygibus asperiore siti.
Aeacides, Danai protendite brachia! clamat,
Velaque dat quamvis remige navis eat;
Nec vacat in bello sua dextera, fortiter ipse
Fortibus occurrit, hostica colla metit.
In vultus cadit ille suos, calidumque cruorem
Ore vomit, rivum sanguinis ille bibit.
Hic obit, hic obiit, hic palpitat, ille quiescit,
Crudescit campus, sanguine manat humus.
Succumbit Trojana manus, sparsique fugati
A Danais Teucri caede ruere gravi.
Incipiunt ululare Phryges infausta boantes,
Iam sibi debuerant spem posuisse fugam.

HIC HECTOR VENIT AD PUGNAM.

Hector ut accepit occasum bella minari
Troibus, accingit gnaviter ense latus.
Evolat accinctus, veniensque leonis ad instar
In belli medio fulminat ense fero;
Percutit et mactat et sanguine vulnera laxat;
Potio, quam miscet, pocula mortis habet.
Principis adventu redierunt corda virorum,
Est in rem pugnae spes variata fugae.
Prosilit illustrem ferus Hector in Idomeneum,
Dejicit, obtruncat et pede calcat eum.
Iphidus Hectoreo fit saucius ense; Leonte!
Nescis, quod scapulas dissuit ille tibi?
Sed Stheneli, cuius voluit transfigere ventrem,
Dilabente manu perforat ense femur.

---

429. palpitat e margine pro: palmitat. 431. e margine pro: sucbubit. 432. pro codic. Treuci. 445. Dares nomen Iphinoi habet. 446. Cod. ipse. 447. St. pro cod. Steleni.

HIC POPPES*) DUX OCCIDITUR AB HECTORE.

Hectoris ingentem fortunam, robur avitum
Aspicit Aeacides, prospiciendo dolet.
Desperat Danais contingere posse triumphum
Hectore Cocyti ni subeunte lacum.
Cogitat, innumeros ope roboris ejus Achivos,
Immo fere cunctos, occubuisse duces;
Et quod, eo solo super arva superstite, tota
Graecorum penitus sit peritura manus.
Sanguinis illius igitur sitit ille fluentum
Intendens ejus mergere morte caput.
Pugnant et dubiis volitat victoria pennis,
Nunc moriens spumat, qui modo victor erat,
Nunc flet qui risit, ridet modo qui cito flebit,
Hic modo qui perimit hic perimendo perit.
Millia multa cadunt, belli constantia largos
Purpurat et nimio sanguine pingit agros.
Horridus ille leo, Danaûm timor unicus, Hector,
Militiae speculum, strenuitatis honor
Hic volat, hic revolat, dubiis hic corda ministrat,
Hic pavidos animat, agmina Graeca secat.
Major ei crescit audacia Poppite strato,
Inter magnatos non erat ille minor.
Illius hic clypeo simul arreptoque galero
Inpavido scindit obvia cuncta modo.
Miramur, totis dum fundit corpora campis,
Si tam glorifico robore gaudet homo.
Qua victor gaudes, haec te victoria perdet:
Invictus totiens illico victus eris.
Mors mordet meliora prius, pejora supremo,

*) Poppes. Dares Polyboetum nominat, ut et marginis scholion ad v. 469 observat. 452. cod. cocichi. 459. imitatio Ovid. Met. VIII, 13. inter utrumque volat dub. Vict. pen. 469. Scholion marginis. Poppes dux ab Hectore occiditur, hic alio nomine in Dictye est Polybetes, qui cum socio suo Leontio adduxerat XL naves. — Hector accepit clypeum et galeam Polybetis. Crescit pro cod. „cressit".

Vilia contemnit et preciosa subit.
Vicisti multos et jam vinceris ab uno
Sic versant dubiam frivola fata rotam.

HIC HECTOR OCCIDITUR AB ACHILLE.

Priamidem dolet Aeacides, tot sternere Grajûm
Agmina, totque ducum perdere pensat eum.
Appropians igitur hastam contorsit in hostem,
Occursu clypei miles abegit eam.
Non impune tamen descendit lancea Graeca,
Trojana mox est illa remissa manu.
Hectoris in galeam mucronem mittit Achilles,
Illa sonando crepat, non levis ictus erat.
Casside mox Hector in summa tangit Achillem,
Respuit haec ictum, sed dedit icta sonum.
Elevat Aeacides lunatum denuo ferrum,
Hectoris ut nitidam dividat ense gulam.
Excipit umbone juvenis Priameius ictum,
Mucronem vibrat et referire parat.
Dum referit, Graeci collum discendere quaerit,
Sed Graecus cedit, aera mucro ferit.
Graecus item gladium magnum virtute levatum
Dirigit in Troem, scindat ut ense pedem.
Detrahit ille pedem, tamen ense reverberat ensem,
Reddit per simile pro vice quisque vicem.
Sese collidunt nitidi perniciter enses,
Hic ferit, hic referit, utraque massa fremit.
Serpens serpentem mordet, sic mucro mucronem;
Dens a dente riget, ensis ab ense nitet.
Longe spectantes oculis referire valebant
Fulgura, quae gladii solis in igne dabant.
Argolicus chalybem stringit percurrere Troem,
Objectus item protegit umbo ducem.
Ictum Trojanus acceptum reddere nisus
In femur Argolicum vulnerat ense virum.

480. rotam e margine pro cod. „fatam". 490. icta e margine pro cod. illa. 491. margo. Aeac. Achilles.

A muro sonus increpitat, Trojana juventus
Hostibus insultat, ut superarit, ovat.
Argolici trepidant, non autem bella resignant,
Laetatur fine spes mala saepe bono;
Spes bona saepe malo laetatur fine; recepto
Vulnere vincendum vulnere credit herum.
Heros iratus, etenim dolor excitat iram,
Hectora vibrato fortius ense petit.
Hoc siquidem clavo tenet anchora mentis Achillem:
Vel modo Priamides vel cadit Aeacides.
Ictus ergo jacet, insultat et ictibus ictus
Et non est ullus in feriendo modus.
Deficit a manibus soboles Priameia, Graecis
Ossibus officium vis regitiva negat.
Descendit clypeus, lentescunt brachia, mucro
Desipit et virtus spe titubante fugit.
Taedet eum pugnae, vellet vitasse duellum,
Mallet ad uxoris delituisse preces.
Iam Graecum fugere, jamjam retrocedere quaerit,
Scindi, si fugiat; occiput ense timet.
Impetit hunc toto collecto robore tiro,
Quem nisu valido dejicit ille solo.
At miser intuitus instare pericula mortis,
Committit nulli fata sinistra spei.
Denique victori: precor, invidissime miles
Extinctum patri redde cadaver, ait.

---

515. Spes mala saepe bono l. f. — Ov. Her. XIII, 124.
Spes bona sollicito victa timore cadit.
517. Ov. Her. VI, 140
Quamlibet iratis ipse dat arma dolor.
Gualth. Alex. III, 113
Excitat interdum vires dolor.
524. Marginis scholion. Nec mirum quod tota die pugnaverat et hostes occiderat, nec quod caro eius aenea aut fortitudo ejus minor quam fortitudo illius. Ovid. Trist. IV, 6, 31
Fortior in fulva novus est luctator arena,
Quam cui sunt tarda brachia fessa mora.
534. cod. sinastra.

Patri? Non, tua projicietur in arva sub istis
Corvis et canibus dilacerando caro.
Nec mora, regale percellens cuspide guttur,
Haec de Patrocli funere, dixit, habe;
Et de funeribus aliis, quae misit ad amnes
E nostris populis haec tua dextra Stygis.
Palpitat hic animamque vomens in sanguine
Ad Phlegetontea cogitur ire vada.
Infelix! quanta glossae virtute parasti!
Quas tibi delicias fratris amica dedit!
Quis status est mundi, meretrix quae digna cremari
Tot fecit proceres totque perire duces;
Et non invitos? Video quod sponte subibant
Bellica suplicia pro muliere mala.
Exultant Danai, deplorant Hectora Troes
Plangendo celeri consuluere fugae.
Graeca phalanx sequitur, ad portam Memnon eisdem
Obviat et Phrygii, pugna fit acris ibi.
Mixtim caeduntur, tandem nox sidera spargit
Bellum compescit, in sua quisque redit.

ACHILLES OCCISO HECTORE REDIT IN CASTRA.

Saucius et fessus in castra reversus Achilles,
Corruerat quoniam maximus hostis, ovat.
Dicit Homerus eum traxisse per arva misellum
Busti majorum circuendo locum,
Praecipue vero Patrocli, cujus Achillem
Mors nimis exussit; lenior inde fuit,
Quumque malum propter mala multa receperit imum
Illi probrosis impejerando notis.

---

537 sq. Epitomat. 997. 98
Te vero tristesque ferae cunctaeque volucres
Deripient, avidique canes tua viscera pascent.
542. stygis pro cod. stygos. 545. Glosa. Glossis femina clara fuit. — Helena uxor fratris Paridis. 556. Epitom. 1007
Laetuntur Danai, plangunt sua funera Troes
555. Ov. Met. nox coelum sparserat astris. 559. Homerus i. e. Epitom. v. 1010 sqq. haec narrat. 560. excessit marginis scholion per: „conturbavit" explicatur.

Addidit in fine miseranda pro prece patris
Aeacidem funus restituisse patri.
Sole trahente diem, depulsis undique stellis,
Memnon bella Phryges ad rediviva trahit,
Sic, ne perdiderit, non cessat perdere lusor:
Et revocat cupidas ad sua damna manus.
Pax placet Atridae, mittit pro pace petenda;
Pax datur et menses duret ut illa duos.
Interea studio, fieri quo debuit, omnes
Officium stratis exequiale dabant.
Quaedam vero cremant, et quaedam corpora tumbant,
Planando campos ad nova bella parant.

HIC HECTOR TUMULATUR.

Hectore dejecto lamentum Troica pubes
Et planctum, Troja sit quia fracta, levat.
Ante fores Trojae magno fit honore sepulchrum,
Hic nimium lacerans Teucria corpus humat.
More suo tumbam circumdant funebre ludo.
Est ubi, quem timuit maximus orbis homo?

HIC PALAMEDES FIT REX.

Non cessat medio Palamedes tempore, causam
Praeteritam renovat, ambitiosus erat.
Convocat hic populum super imperio, recitatque
Imperii cupidus omnia dicta prius.
Inter ventosa plebis suffragia cornu
Ambitus etiam flavit in ora ducum.

---

565. melius ob metrum pro Adicit. Haec narrat Epitomator. v. 1031 sqq. 567. Margo: Pugna xj. Ov. II, 164 — — aut medium sole tenente diem.
569. 70. Ov. Ars Am. I, 451. 52
Sic, ne perdiderit, non cessat perdere lusor:
Et revocat cupidas alea blanda manus.
572. Margo. Pax v^ta^ duorum annorum. sed perperam, nam mensium legendum est. 575. Cod. pupes. 587. marginis scholion. verba ambitionis.

Iam proceres aliquos attraxerat ad sua vota,
Iam coepit scindi seditione cohors.
Nil reprobum fuit in Agamemnone, bellicus, audax,
Fortis erat, bene se militiamque regens;
Maluit ergo prius faculas extinguere litis,
Et freno pacis perdere sceptra magis.
Mane duces populumque vocat; status, inquit, honesti,
Lis inter socios ne moveatur, habet.
Non leve sollicitae mentis discurrit acumen
In duce, qui captat, ut bene regna regat.
Roditur assidua regalis gloria cura,
Dejicit excelsum multa querela ducem.
Rodere malo fabam, quam cura praepete rodi,
Sunt mihi pauca satis, sunt mihi multa nimis.
Insidias modo regna timent, modo traditionem,
Nunc jugulum, nunc cor ambitione vagum.
Est honor assidue suspecta pericula ferre?
Est honor incertos semper habere dies?
Non honor est, sed onus, species laesura ferentem;
Est bona, quae generat esca comesta necem?
Parva solent magnis causam praestare ruinae;
Qui jacet inferius, non habet, unde cadat.
Qui cadit in plano vix hic, tunc evenit ipsi,
Sic cadit ut tacta surgere possit humo.
Nec mala quae posui, vel possem ponere; quamvis
Integra pax vigeat, sunt metuenda mihi.
Quid de praesenti dicemus tempore, quando
Otia rex noster ducere nulla potest.

---

591. pro cod. rebrobum. 597. Claudiani est, rapt. Proserp. 201. 600. Ov. Her. XIII, 110 venit multa querelà 601. Aesopus seu. Anonym. Nevel. p. 495 lin. 11. 606. Margo: quasi dicat, non. 608. Margo: quasi dicat, non. 609. Gualt. Alex. lib. VII, 512.

Parva solet magnis causam praestare ruinis.

610. Alan. parab. II, 18

Qui jacet in terra, non habet, unde cadat.

611. 12. hanc sententiam latius explicant.

Cinthius in bello, decreseit Cinthia curis
Continua semper anxietate novis.
Esto quod in pace vivat rex et queat omni
Intus et exterius prosperitate frui.
Secure vivat, epuletur, gaudia ducat,
Omnis in exilium causa timoris eat.
Si ventri bene, si lateri bene, si pedibus, nil
Regalis poterit addere mensa magis.
Non est tironum rex servus, quando ministrat
Singula, quae vitae sollicitudo rogat.
Mus sequitur panem, mel musca, lupusque cadaver,
Non regem populus quaeritat, immo lucrum.
Non erit ergo mihi collata potentia tanti,
Ut fiam litis auctor amore sui.
Frustra jura legis contempto codice legis,
Nomen habens regis, qui male regna regis.
Feci sic forsan; si feci, nescio; feci
Quae potui; super his parcite, quaeso, mihi.
Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas,
Hoc facit ut placeat non minus agna bove.
Si ducibus placet et aliis, ut sit Palamedes
Rex, hilaris surgat et diadema ferat.
Quid refert, quis regna regat nunc temporis, hostes
Dum modo succumbant et probra lata luant.
De regno non sollicitor, pro rege Mycene
Me speciosa polis et spatiosa tenet.
Dicatis proceres, placet ut sit rex Palamedes,
Regnet de Danaûm deque favore ducum.
Dumque fit a populo, placet haec prolatio, clamor;
Naupliadem decorat imperialis honor.

---

617. margo: Sol et Luna. confer. III, 179.
Lunam consiliis, solem consumimus armis
623. Hor. Epist. I, 12, 5 sq.
Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis, nil
Divitiae poterunt regales addere majus.
635. Ov. ex Pont. III, 4, 79. 636. ibid. 82.
Et placeat caeso non minus agna bove.
646. Margo. Palamedes fit rex.

Induitur trabea, sed nulla potentia longa
Persolvit grates imperitando sedem.
Non placet Aeacidae regni mutatio; saepe
Res cum personis se variare solent.

ITERUM REDEUNT AD PROELIUM.

Interea binis emissis mensibus et pax
Est simul emissa, fit sonus absque mora.
Educit Graecos Palamedes, bellica signa
Instaurat, cuneos ordinat, arma levat.
Contra Deiphobus Phrygios in proelia ducit,
Concurrunt, pugnant, fortiter arma sonant.
De Lycia Sarpedon adest et in agmine miscet
Vulnera funeribus, funera vulneribus.
Tali Triptolemus jactura motus atroci
Impetit hunc animo, quem premit absque mora.
Temperat ille modum reprimendo, nec moderari
Obsistendo modo pervalet ille modum.
Non ridet fortuna diu, nimis immoderatum
Vulneris injectu mors moderatur herum.
In bellum Perses succedit eumque repente
Sarpedon sternit, mortuus ille cadit.
Mixtim se populus obtruncat, mutuo mactant,
Sternuntur, sternunt, millia multa cadunt.
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem,
Quamvis sit doctus et citharista bonus.
Vocibus instare nos semper optat eisdem:
Sternuntur, sternunt, millia multa cadunt.
Certe saepe docet nos cordam tangere, per quam
Debita praecipitur saepius ire nota.
Pugna quidem magna, major jactantia, strages
Maxima desaevit, plebs quasi grando ruit.

---

650. Cod. protheare. margo: mutare. 651. Margo: Pugna XII, in qua Sarpedon rex Lyciae occidit Triptolemum. 669. 70. 71. Margo. hic excusat se auctor super eo, quod cogitur saepe eadem repetere. Hor. Ars poet. 355. 56.

Quamvis est monitus, venia caret; at citharoedus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem.

E bello tandem Sarpedon saucius exit,
In tali talis flumine piscis erit.
Pugna dies manet in aliquos, pars utraque perdit,
A Priami plures parte perisse putes.

PAX DATUR PER ANNUM UNUM.

Pacem Troja petit, datur anno, corpora quaerunt
Sana larem, laticem saucia, caesa scrobem.
Firma fides utrimque manet, per castra vagatur
Graecus Dardania, Dardanus Argolica.
Troes cum Danais, Danai cum Troibus ibant,
Argivi subeunt moenia, castra Phryges.
Mutua permixti celebrant convivia, ludis,
Visibus, alloquiis deliciisque vacant.
Assumptis sociis iussu Palamedis Atrides
In Mysiam transit, ducat ut inde cibos.
De Palamedis ibi fit seditione querela,
Atrides primo verba levarat ea.
Se socii doluisse ferunt; mutatio regni,
Quam voluit, populo commoda pauca tulit.
Te potius regem vellemus quam Palamedem,
Pro se suadere noverat ille bene.
Non, inquit sociis Agamemnon ad ista, molestor;
Non mihi surrepsit ullus ab inde dolor;
Sed nostrum peragamus opus, reddamus onustas
Annona naves, et repetamus iter.
Interea Phrygios observat cautio muros,
Praecipitur firmus firmior esse locus.
Et vigil Argolicas servat custodia fossas,
Difficiles habeat hostis ut inde vias.

---

681. Margo: Pax VII, unius anni. 682. scrobem scholion marginis interpretatur: fossam. 690. Mysiam pro Moesiam. 699. a margine pro onestas.

HIC AGITUR ANNIVERSARIUM HECTORIS.

Pax erat et retulit anni revolutio tristem,
Hector Avernigera quo tulit arma, diem.
Hecuba cum Priamo tumulumque Polyxena visunt
Ut celebrent carmen funebre more suo;
Et Trojanorum potiores in comitatu
Sunt etiam talis funera flere viri.
Graecorum juvenes accurrunt, his et Achilles
Intendens oculis vana videre vagis.
Corporis est oculus talis, quod mentis ocellum,
Ni bene se claudat, exoculare solet.
Sic cor corporeus Pelidae caecat ocellus,
Ut visum perdat mens oculata prius.
Cujus tiresiat sic visa Polyxena pectus,
Transeat ut caeca tempora mente tria.
Qui totiens socios, totiens perterruit hostes,
Iactat sub teneros unica virgo pedes.
Vir faculas Veneris portans in pixide cordis,
Non cerebrum somno, nec fovet ora cibo.
Incedit multa meditando, pauca loquendo,
Sic tener ausuros grandia frangit amor.
Luctatus secum, ratione fugare furorem
Et valet et non vult, vult minimeque valet.
Vult animum tegere, non prodest, vult aperire.
Sed cui? non aperit, sed magis ipse tegit.
In se fervere solet acrius abditus ignis,

---

706. Marginis scholion: Avernigera arma, quia eum duxerunt in Avernum, quod derivatur ab a quod sine et ver, delectatio, quasi sine delectatione. 710. t. pro cod. tali. 713. 14. cfr. Alan. Anticl. lib. VI (p. 95) lin. 9. 10

Sed quamvis oculus mentis resplendeat intra,
Languescit tamen exterior. —

718. Marginis scholion: tria tempora, nempe praesens, praeteritum et futurum, praeteritum oblivioni tradidit, praesens non curavit, futurum non prospexit. 727. Cod. regere. 729. Ov. Met. IV, 64

Quoque magis tegitur, tanto magis aestuat ignis.

Pamphil. I, 21 — — — nam conditus ignis
Acrior, effusus parcior esse solet.

Eminet indicio prodita flamma suo.
Pallida furtivum facies manifestat amorem,
Quid deceat, quid non, non videt ullus amor.
Otia sectari coepit, nec turpe putavit
Palliolum nitidis imposuisse comis.
Pallorem traxit, hic est color aptus amanti,
Palleat omnis amans, civis amoris ait.
Pallet, quisquis amat, verum cum palleat, usum
Palloris minime palliat, immo palat.

ACHILLES MITTIT NUNTIUM AD HECUBAM PRO CONIUGIO POLYXENAE.

Nox erat una viro curarum maxima nutrix,
Quo rem divertat, cogitat et quid agat.
Hinc cuidam puero, meus ad loca, quae tibi dico,
Nuntius esto, refert. Phryx erat ille puer.
Ilion ingrediere, dic, Hecuba! moestus Achilles
Se fundit genibus, o generosa! tuis.
Illius mentem formosa Polyxena torquet,
Hanc sibi conjugio supplicat ille dari.
Quae si contigitur, praesentia proelia ponet,
Cumque suo populo propria tecta petet.
Exemplo tali reliqui discedere discent:
Finem sic omnis obsidionis agent.
Servus ut ediderat commissa; revertere, dicit
Hecuba, cum Priamo vota librabo sua.
Si Priami consensus adest, consentio; quicquid
Dixerit ille mihi, significato tibi.
Servus anhelanti responsa reportat Achilli,
Incusat tantam pendulus ille moram.

---

730. Ovid. Her. XII, 38. 731. Est Pamphil. XLII, 7. 732. Ovid. Her. IV, 154. quid deceat, non videt ullus amans. 733. 34. Ovid. ars am. I, 734. 35. 735. 36. Ov. ars am. I. 729. 736. civis pro cod. ciphis. 739. Ov. Metam. VIII, 81. 82 — — — curarum maxima nutrix
Nox intervenit.

De Mysia rediit Agamemnon cum comitatu
Militiae grandis, frugibus atque cibis.

VERBA PRIAMI REGIS AD HECUBAM REGINAM.

Regi regina votum declarat Achillis:
In venas venit huic, ait illa, Venus;
Si societur ei tua nata Polyxena, spondet
Cessuros patria seque suosque tua.
Illo cedente, cum de potioribus unus
Sit, reliqui cedent, totaque bella cadent.
Cui rex: assensum non praebeo, non quia tali
Non bene conveniat filia nostra viro;
Sed quae promittit, effectu claudere nescit;
Promissis dives quilibet esse potest.
Hic cedat, cedantque sui; cedentibus illis
Graeci non cedent, ipsaque bella manent.
Adde quod est vitiosum, hosti tradere natam
Num gener aptus erit cras, inimicus heri?
Reddat perpetuae belli duo cornua paci,
Virgine sic poterit ad sua vota frui.

REFERT NUNTIUS ACHILLI VERBA PRIAMI.

Si nox longa quibus mentitur amica, profecto
Longior est nulli, quem levat illa modo.
Noctes insomnes infelix ducit Achilles,
Pervigil incusat sidera tarda nimis,
Et nunc cantando longos seducere soles,
Nunc auscultando, nunc recitando studet.
Stabat fixa dies, mediique cacumine coeli
Sol tenet aeternum perpetuando diem.
Accelerat famulum transmittere denuo miles
De verbo Priami certior esse volens.
Cujus responsum patefecit ut Hecuba servo,
Ille refert domino singula verba suo.

---

757. cod. Moesia. 768. Ovid. Ars am. I, 444
Pollicitis dives quilibet esse potest.
776. nullo levat. schol. consolatur.

Rex tibi dissentit, sed virgine dignus es, inquit,
Tu cedes, alii belligerando manent.
Hosti rex reputat vitiosum tradere natam,
Qui nunc est hostis, cras erit ille gener?
Si facis, ut Danai discedant, proelia solvant,
Pacem perpetuent, rem tua vota ferent.

ACHILLES DISSUADET POPULO BELLUM.

Pelides populo de cetero bella molestat;
Nostrum tempus, ait, absque quiete meat.
Interdum vulgus rectum videt, ecce videtis
Hostibus assidue lassa quod ora datis.
Europae vis et Asiae glomerantur in unum
Alterutrum diras experiendo manus;
Immo suas vires totas expendere totus
Intendit mundus, nemo scit unde loco.
Sed mulier sola lasciva pudore relicto
Quae jacet, est tanti noxia causa mali.
Inguinis et capitis, quae sunt discrimina, nescit,
Attamen orbis eam, sit quasi sancta, colit.
Non colit orbis eam, quae spreta morte vicissim
Illius in laudem certat inire necem?
Cujus in adulterio famulantia quanta dederunt?
Se saevae morti millia quanta dabant?
Venimus huc ideo, misere moriamur ut omnes,
Vix tellus ampla funera strata capit.
Pauper ut hic Phrygias implevit natio fossas,
Vix Priamus tanti totaque Troja fuit.
Exilione premit nos Dardana gleba protervo?
Intravit nostros barbara turba lares?
Et mirum quod tam vilissima traxit honestos
Ad tam mortifera proelia causa viros.
Si, sicut cepit belli furor, irrevocato
Cursu saevierit, nemo superstes erit.
Hoc socii volumus mactari tempore quanto?
Vulnera saeva pati, tradere colla neci?
Me belli piget istius, desidero pacem,
Cum velut ob nigram sint ea bella fabam.

Nos ergo studeamus ad hoc ut bella residant,
Pugnantes redeant, domata grata petant:
Quidquid delirant reges; plectuntur Achivi,
Plebs instat belli sarcina tota tibi!

ACHILLES DUCTUS AMORE NON PUGNAT.

Concessus paci completur circulus anni,
Ad centrum belli mox properatur ibi.
Graecos educit Palamedes et monet omnes
Caede necare necem, morte fugare fugam.
Deiphobus Phrygios instaurat, cui Palamedes
Obviat et valide dejiciendo necat.
In bellum non prodierat turbatus Achilles
Pectoris in camera vulnus amoris habens.
Pugna tamen surgit acerrima, spicula, conti,
Enses se densant, vulnera mille creant.
Credetis multa, si millia dico ruisse,
Millia tot totiens quis cecidisse putet?
Vix bene credetis, sed credite; tot periere
Quot numero non est intitulare leve.
Mactat Naupliades et dedicat arva cruore;
Substiterat nullus illius ante manus.
Nam prima volat in acie, primusque sodales
Sic animat pronos, ad mage prona vocat.
Cor creat in timidis, laudes audacibus aptat,
Exhortativis vocibus arma parat.
Profuit interdum dominis pugnare jubendo:
Non nocet admisso subdere calcar equo.
Irruit in Danaos validus Sarpedon, et illos
Vulnerat, hos agitat, hos ferit hosque necat.
Rex novus illa videns, antiquis viribus usus
Advolat et fortem perforat ense ducem.
Exultat victor, titillat gloria mentem,
Quum breve laetitia Teucrea carmen habet.

---

825. Hor. Epist. I, 2, 14. 826. Margo: Pugna XIII. 848. calcar pro cod. carcar. — subd. c. e. Ovid. Ars am. II, 732. Remed. 788. ex Pont. II, 6, 38.

Transvolat illius per colla sagitta trabalis
Missa manu Paridis. Exitus iste ducis!
Quid penetrare juvat sublimi celsa volatu?
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.
Corruit hic misere, plaudit Trojana juventus,
Hostica terga premit, Graeca caterva fugit.
Troes impingunt in castra, ferire Pelasgos,
Solvere captivos, igne cremare rates.
Occurrit Telamone satus, defendit Achivos,
Pugna fit grandis in statione maris.
Attamen in castra reprimuntur turpiter Argi,
Sufficit introrsum delituisse sibi.

GRAECI FLENT DE OBITU PALAMEDIS.

Conticet ad tales eventus Aeaca proles,
Cujus inaestuerat intima cordis amor.
Nox lucem claudit, vix claudunt sidera bellum,
Belli res poterit claudere nulla sitim.
Deflent belligerum Phrygii Sarpedona, deflent
Deiphobum, plangor non habet ille modum.
Sic et Achiva domus flet ob obitum Palamedis,
Turbida pro subita perditione ducis.
Lamentantur ita; vir servantissimus aequi
Vir, quem condigne plangere nemo potest,
Audax, discretus, nulli pietate secundus
Occidit, occisum Graecia plangit herum.

LIBER QUARTUS.

INCIPIUNT CAPITULA QUARTI LIBRI.*)

Hic iterum regnat Agamemnon. Castra fugantur.
Bisseno stat pugna die, pax mense duplato.

---

863. margo: Ajax. 865. Argi pro armi codicis e margine. 867. pro cod. continet. adventus. — In margine nota: Aeacus genuit Peleum, Peleus Achillem.

*) Codex tantum habet in margine: capitula quarti libri „et post argumentum: quartus liber". Instruximus ut invenimus apud priores libros. Negligentia rubricator e primo versu

Pelides remanet Troilusque cruentat Atrides
Cum Diomede duos; pax mensibus integra senis.
Non prodit quamvis a rege rogatus Achilles.
Pugna diu, pax mense viget; sex pugna diebus.
Septima mors Troili, fit pax triginta dierum.
Occidit Aeacides. Pro Pyrrho mittit Atrides.
Occisor Paridis in castris interit Ajax.
Trojam circumdant et Penthesilea propinquat.

EXPLICIUNT CAPITULA.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

NESTOR LOQUITUR GRAECIS.

Addidit invalidae robur facundia causae,
  Saepius et moestis commoda multa tulit.
Lucidus in causis Nestor, sed muscidus annis,
  Nomine consilii poscit adesse duces.
Me melius nostis ea quae loquor; est manifestum
  Quod sumus acephali, rege caremus, ait.
Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
  Et sine fronde frutex et sine crine caput;
Et vere turpis exercitus est sine rege,
  Praecipue belli cum status instat ei.
Bellum non instat, immo veraciter extat,
  Intrabunt hostes, vix erit orta dies,
Praeceptor quis noster erit? res bellica duci
  Non valet absque duce, non sine rege regi.
Errantes erimus, si praeceptore caremus,
  Nos et quae tulimus, hostibus arma damus.
Rex Agamemnon erat, hic cessit, cui Palamedes
  Illico successit, illico cito ruit.

---

indicis inscriptionem quasi primi capituli fecit: Agamemnon iterum regnat.

1. Lucani est Phars. VII, 67. 3. e margine pro mucidus. 7. 8. Ov. Ars III, 249. 50. 9. 10. Gualth. Alex. IV, 467. 8. Nec munire latus armis sine voce jubentis,
  Ire nec in turmas audet sine principe miles.
12. Ovid. Fast. II, 330 — — cum foret orta dies.

Quid facit, an facta fuerint sua strenua? quaeret;
Ostendi solem postulat ille sibi.
Non erat illius virtus aliquando sepulta,
Omnibus eximium reddidit ille jubar.
Regem perficite proceres, qui proelia ducat
Hostibus occurrat, imperet atque regat.
Quo prius est melius. Non est mora libera nobis;
Nonne vides hostes jam reserare fores?
Nondum finierat Nestor, concurrit in ipsum
Concio consilium. Verba fuere ducum:
Sit rex, sit princeps Agamemnon, tempore cujus
Graeca fruebatur prosperitate domus.
Hic rex erigitur, diadema levatur,
Qui laudabiliter rex erat ante, datur.

TROILUS FUGAT GRAECOS IN CASTRA.

Aurea pingit agros Aurora, feruntur ad arma
Dardanus et Danaus; fit nova causa necis.
Instaurant alacres belli discrimina Troes,
Graecis insultant, hos sine rege putant.
Troibus audacter occurrit rex Agamemnon,
Argolicos animat, fortia corda creat.
Quid moror? accurrunt, concurrunt, vulnera findunt,
Funera dejiciunt, se glomerando premunt.
Se, velut intorti sint circumcunque capilli,
Efficiunt unum perterebrando globum.
Majori pro parte dies consumitur hac re,
Diffugiunt tandem strage parante fugam,
Evehitur Troilus, reparatur pugna, forantur
Vulnera, sternuntur corpora caede nova.
Fortiter a parte pugnatur utraque, sed Argos
Inpellens Troilus in sua castra fugat,

---

19. 20. Ov. Trist. V, 4, 7. 8
Tristitiae causam si quis cognoscere quaerit
Ostendi solem postulat ille sibi.
35. margo: pugna XIV a.

PUGNA DUODECIM DIERUM.

Lux redit et redeunt in bellum, pugna fit acris,
Educit Graecos rex Troilusque suos.
Nec mora! se densant enses et spicula laxant,
Omnia, quae penetrant, sanguinis imbre rigant.
Culminat e bello Troilus, contaminat ensem
Sanguine nunc plebes nunc feriendo duces.
Magno se fodiunt iratum velle studentes,
Hac furia bis sex continuare dies.
His bene completis pro pace precatur Atrides
Ut sua suscipiat funera mater humus.
Per menses datur illa duos et rex Palamedem
Magnifice sepelit, lugubre carmen agit.
Quisque studet sepelire suos, his vero sepultis
Membra brevis requies ad mala longa fovet.

ACHILLES RECUSAT PUGNARE.

Tempora pacis erant; Diomedes, Nestor, Ulixes
Aeaciden adeunt, bella levare petunt.
Hoc Agamemnon eis praeceperat; ille rebellem
Obiiciens vultum, bella levare negat.
Hecuba, ne pugnem, dicit, cum rege rogavit.
Vovi; mentiri talibus ausus ero?
Nec mihi mens belli, potius desidero pacem,
Longa cremare mala scit furor, ira brevis.
Lis odium generat, concordia nutrit amorem,
Pax portat vitam, proelia vero necem.
Odimus accipitrem, quia semper vivit in armis,
Et timidum solitos in pecus ire lupos.
Reginae Trojae, ne ducam proelia, vovi;

---

53. e margine, pro cod. ocaminat. 56. e margine pro cod. feria. 59. Margo. Pax VII per duos menses. 71—74. Ov. Ars II, 145—48.

Dextera praecipue capit indulgentia mentes:
Asperitas odium, saevaque verba movent.
Odimus accipitrem, quia semper vivit in armis,
Et pavidum solitos in pecus ire lupos.

74. e margine pro inpetus.

Debet promissam fallere tyro fidem?
Adversis non deesse decet sed laeta securis,
Vos mihi dicetis forsitan; ad quod ego.
Pro patria pugnare decet regnumque tueri,
Hostes a regni pellere fine sui.
Fas est, ut revocet quivis opprobria, damna
Vindicet et bellum sors violenta petat.
Sed, sic vindictam mala ne majora sequantur,
Ferre minora volo, ne graviora feram.
Nos neque pro patria pugnamus, nulla tuemur
Regna, nec arcemus hostica signa procul.
Hic sumus, inque vicem nos commactando ferimus
Insanis similes, nulla quieta dies.
Sed neque nox didicit ullam parare quietem.
Mane necandus ero, nocte quietus ero?
Non rationales homines sic, immo furentes
Se consueverunt dilaniare canes.
Sic lupus, et turpes instant morientibus ursi;
Et quaecunque minor nobilitate fera.
Iam nostri periere duces, periere Quirites,
Quis numeret validos, qui cecidere, duces?
Causam quaerenti nescirem dicere, quare
Est furor in cursu, qui ratione caret.
Et quid perficimus? sine fructu Graecia pugnat,
Non pro futuris littora bubus arat.
Forsitan in medium Ledeam ponere vultis,
Turpiter ex Graeca sit quia rapta domo.
Quid miscere juvat iras, Helenamque tenere
In medio, nostro sit quia tracta loco.
Illa nec est tracta, nec rapta, sed hanc ubi vidit
Miles et allexit, sponte secuta fuit.
Ponatur rapta quod sit, non sponte secuta;

---

76. margo: quibus dicit, nolo. 79. Gualt. Alexandr. II, 358. 59. Pro patria stare et patriae titulis, et honore
Invigilare decet
89. melius patrare. 93. 94. Ov. Trist. III, 5, 35. 36
At lupus, et turpes instant morientibus ursi
Et quaecunque minor nobilitate fera est.

Iam sequitur Paridem mallet obisse virum.
Pro tali stupro sudavit Graecia tota?
Pro tali stupro corruet omnis homo?
En miseras plebes, ut transiliam trabeatos,
Succidit gladius ut resecatur olus.
Esto, quod et doleat et rapta sit et violatam
Se deploret adhuc sustinuisse manu:
Libram judicii si recte dirigis, aequus
Raptoris titulus, noster iniquus erit.
An non Hesyonem prius in nece regis eorum
Adjunctis spoliis abstuleramus eis?
Prodiit a nobis injuria prima, queruntur.
Iuste. Causarum causa perire solet.
Saepe sagittantem didicit referire sagitta,
Sunt haec a nobis spicula missa prius.
Leniter ex merito, quicquid patiare, ferendum est,
Quae venit immerita poena dolenda venit.
Nunc nos innumera collecta classe furendo
Venimus huc casta pro muliere mori?
Hanc reddi petimus, et quando reduximus illam,
Quae subiit Graecum non bene capta solum?
Quando redemta fuit mors Laomedontis? ubive
Reddidimus Trojae damna patrata male?
Proh pudor, hic Asia fervens Europaque totum
Sub belli librant pondere posse suum.
Ad generum Cereris cum multo sanguine multa
Miserunt hominum millia morte mala.
Haec Asiae mens est, ut adultera sint et adulter
Foedere securo sicut amore suo.
Pugnandi genus egregium, parare scienter

---

123. Ov. Am. II, 7, 12
Aequo animo poenam, qui meruere, ferant.
124. Ov. Pont. I, 1, 62.
Estque pati poenas, quam meruisse, minus.
126. in margine: ironia. 127. illam. margo. Hesyonem. 136. sicut e margine pro codic. sic in. 137. melius fortasse patrare.

Vapparum sociis lubricitatis iter!
Europae mens est, ut femina turpis honesti
In thalamum redeat, sit quasi virgo, viri.
Non bene conveniunt, nec in una sede morantur
Vir vitae speculum, femina vile lutum.
Et nos egregie pugnamus, qui repetenda
Nos ipsos tali pro muliere damus.
Haec si militia sit honesta videte, videte,
Si decus est, causis talibus arma dare.
Militiam sic nolo sequi, vos ergo redite
Et regi mentis vota referte meae.
Tres verso rediere gradu, regique responsum
Militis apportant, quodque venire negat.

CONSILIUM PRINCIPUM GRAECORUM.

Accitis ducibus rex, re super hac quid agatur,
Obsecrat interna pendere quemque libra.
Ne paveamus, ait Menelaus, propter Achillem;
Prospera succedent praeter Achillis opem.
Attemtabo virum, si forte reflectere possim;
Si non, praestabunt proelia nostra modo.
Hectore Troja caret, non est ibi fortis ut Hector,
Aeacides nobis desit ut Hector eis.
Non probat edictum Diomedes hoc: Troilusque
Non habet inferius Hectore robur, ait.
Bella puto sepelire, bonam conquirere pacem;
Et Laertiades testificatur idem.
Non lusisse pudet, sed non incidere ludum;
Cum fuerit ludus optimus, abde pilam.

---

138. marginis scholion. vappa. gluto vel garcio bibulus vel nebulo. 141. Ov. Ars III, 436
— et in nulla sede moratur amor
151. Gualt. Alex. IV, 109. 10
— — citatis
In coetum ducibus, quidnam super his sit agendum.
162. Marginis scholion: Ulixes filius Laertis. 163. Hor. Epist. I, 14, 36 Nec lusisse pudet, sed non incidere ludum
164. Apud Gartnerum: Proverbialia 1574 p. 116 invenitur eadem sententia: Dum ludus bonus est, ipsum dimittere fas est.

Thestorides, vincemus, ait, perstate Pelasgi!
Longa licet teneat nos mora, Troja cadet.
Nemo frangatur, si Trojani potiore
Et Graeci pugnent inferiore manu.
Ne vereamur eos numero majore potiri,
A cane non magno saepe tenetur aper.
Ultima Graecorum victoria. Nemo timere
Principium debet; pondera finis habet.

MENELAUS VULNERATUR A TROILO.

Enses arripiunt, horrendaque bella reducunt,
Protinus ut menses partivere duo.
Primo mane potens Atrides et Menelaus,
Tydides et agit agmina Graeca Locrus.
Non tardat Trojana cohors, erumpit et ecce
Stulti concurrunt, millia multa cadunt.
Sauciat hic Troilus Menelaum; nox furibundum
Vix cogit populum, vertat ut ora domum.

BELLUM QUO PERACTO PAX DATUR MENSIBUS SEX.

Ira truces inimicitias et funera bellum
Concitat ut primum deserit umbra solum.
Trojanos Troilus instaurat, cui comitatum
Praebet Alexander, his tuba clangit iter.
Contra Grajugenae. Troilus volat in Diomedem,
Strenuus infortem vulnerat ense ducem.
Sauciat et regem, per campum fundit Achivos,
Et stant non una bella cruenta die.
In pugna mixtim se millia multa trucidant,
Larga cadaveribus arva deesse vides.
Sic loca funeribus desunt, ut bella gerentes
Videris ad standum non habuisse locum.
Graecorum ruerint quum plures cernit Atrides
Coeptaque cancrino serpere vota pede,

165. Marginis scholion: Calchas. 170. est Ovid. Rem. 422. 173. Margo: Pugna XVIa. Menelaus vulneratur a Troilo. 181. funera pro cod. funere. 183. Margo. pugna XVIIa.

Anxius ad Primum mittit pro pace petenda,
Ut pacem senis mensibus esse velit.
Trojani pacem dedicunt tempore tanto,
Nolumus, exclamant, proelia pace regi.
Ibimus in castra Danaorum plectere cunctos,
Ibimus ad pelagus incinerare rates.
Attamen a reliquis cum rex pro pace requirit;
Pacem, cunctorum vox erat una, dari.
Suscipiunt medicam, coeant ut vulnera, pacis
Tempore Tydides et Menelaus opem.
Troes et Danai potius tumulare videntur
Ob nimios cumulos quam cumulare suos.
In tumulos jactant cumulos, tumulos cumulando
Et cumulant tumulos intumulando viros.

VERBA AD ACHILLEM UT RESUMAT BELLA.

In bellum revocare studens Agamemnon Achillem
Assumto subiit Nestore castra ducis.
Inclite miles, ait, vir strenue, fide sodalis!
Procumbit genibus Graecia tota tuis.
Immo coronatus rex, et non rex, sed amicus
Te rogat intentas continuando preces;
Prodeat in bellum tua dextera, prodeat illa
Armipotens galea; nostraque bella juva.
Suppliciter petit hic tua patria, Graecia tota,
Tota parentela; bellica signa leva.
Atrides etiam tibi si tuus est alicujus
Momenti, noli vota negare mihi.
Si mihi, si patriae, si civibus arma negares,
Dux inhonestatis, hostis amoris eris.
Cum rosa sis patriae, non debet spinea rosam
Hoc vitio macula derosulare rosam.
Et quaecunque potest, rex allectoria verba
Profert in medium mollificare virum.
Projicit ampullas et sesquipedalia verba

201. Margo: iterum pax vijj sex mensium. 227. Hor. Ars poet. v. 97.

Intexens humili singula verba stilo.
Aeacides flexus alloquitur: o Agamemnon!
Miror, ait, nostram te subiisse casam.
Ad te me potius invitat regula recti,
Cum rex dicaris; sim quoque miles ego.
Sub labaro prodire tuum rex poscis Achillem,
Rex pie, moestitiae compatiare meae.
Incolumis leviter ergo solatia praebet,
Nec minus infirmus sentit ad omne malum.
Vulneror et clausum porto sub pectore telum,
Non habet in laeso corpore pugna locum.
Dira dolens animus non est in bella trahendus,
Debent magnanimo proelia corde geri.
Vulneris id genus est, quod cum sanabile non sit
Nec non tractari tutius esse puto.
Myrmidones tibi mitto meos; mihi, postulo, parcas;
Non potero, princeps! hac vice bella sequi.
Nec voluit rex, nec potuit rex angere moestum,
Grates persolvit, in sua castra redit.

ACHILLES IN HOC BELLO MANET IN CASTRIS.

Iam vaga sex vicibus per campos luna volarat,
Iam pax transierat, jam vir in arma volat,
Iam luctam fert pugna novam, cava cornua fortes
Invitant pugiles, surgere signa vides.
Sic acies ruit in acies, sic ensis in ensem,
Sicut aper validum dente bisulcat aprum.
Postquam Myrmidones ferus informarat Achilles,
Ad bellum celeres dirigit, ipse manet.
Pugna fit et pugna talis, quasi tu furibundos
Se commordentes intuerere canes.

---

233. e margine pro possis. 237. Pamphil. I, 1.
Vulneror et clausumque fero sub pectore telum,
241. 42. Ov. Pont. II, 2, 59. 60
Vulneris id genus est, quod cum sanabile non sit,
Non contrectari tutius esse putem.
251. Margo: Pugna XVIII.

In prima Troilus acie versatur, Achivos
Acrius obtruncat Myrmidonesque fugat.
Palantes in castra premit, obstare volentes
Praevalide penetrat, vulnera dira secat.
Et licet obstiterit Telamonius, in sua Teucri
Victores redeunt, carmina laeta canunt.

ITERUM REDITUR AD BELLUM.

Vix exspectatur lux crastina, prodit Atrides
Cum Danais, prodit Myrmidonea phalanx.
In bellum Troes animoque manuque feroces
Exagitat Troilus, parque valore Paris.
Se nectunt acies, ensis scintillat ab ense
Ut tactus chalybe fulgurat igne silex.
Nunc primum pugnant, quasi pridie litus ararint,
Et fuerint penitus bella priora jocus.
Se caedunt, foedunt, prosternunt, viscera fundunt,
Partibus ambabus millia multa cadunt.
Fert intellectum stultis vexatio nullum,
Non auri stratum sus amat, immo lutum.
Semper ad eventum festinat et in medias res
Hic populus mortis anticipando dies.
Vix vacat, ut foveat sudantia membra quiete;
Quod sine strage volat tempus, inane putat.
Unde nec una dies ad pugnam sufficit illis
Plures continuant, ne sine morte fluant.
Plectit eos Troilus sicut persaepe rotundum
Suevit corrigia pellere stricta trochum;
Ut velter super arva feras, sic vir ferus ipsos
Myrmidones agitat, sic agitando fugat.

PAX DATUR PER MENSEM.

Atrides belli discrimen ut aspicit acris
In sua conversum castra tenore gravi;

---

259. Scholion marginis: fugientes. 263. Superscriptum pro codic. Achilles. 267. e margine pro: sintillat. 275. Hor. A. P. 148. 285. Margo: pax IX unius mensis.

Bellum proponit uno suspendere mense,
Imperat et quivis corpora strata locat.

PUGNA VICESIMA SEX DIERUM.

Zodiaco semel explicito redit humida Phoebe,
Bis decima redeunt horrida bella vice.
Evocat Argolicos Agamemnon fervidus, omnes
Concurrunt Teucri, pugna fit acris ibi.
Mixti plebe duces pereunt utrimque, fluitque
Ceu cadat in pelagus sanguinis unda, lacus.
Rumpere fila manu non sufficit una sororum
Sed sibi poscit opem tertia ferre duas.
Transiit in caede celebri pars prima diei
Et prodit Troilus mente manuque ferus;
Qui cum multifluo perfunderet arva cruore,
Argolici subita delituere fuga.
Myrmidones etiam torve speculatur Achilles,
Graecorum plagam Myrmidonumque fugam.
Pridem militiam superaverat ardor amoris,
Militiae stimulo nunc superatur amor.
Non valet alterius tot dissimulare suorum
Vulnera, damna, neces, se levat et fit eques.
Prosilit, in Troilum se vertit, at ille potentem
Excipiens ictum, sauciat ense virum,
Saucius ergo redit, durat sex pugna diebus
Continuis et mors mordet utrosque gravis.

ACHILLES HORTATUR SUOS IN NECEM TROILI.

Septima lux oritur; saeve pugnatur, Achilles
Nondum prodierat, vulnere lentus erat,

---

287. proponit: margo postponit. 290. Marginis scholion: pugna xx sex diebus. 293. Gualth. Alex. V, 145. 295. 96. Gualth. Alex. V, 142—144

Rumpere fila manu non sufficit una sororum,
Abjectaque colo Clotho Lachesisque virorum
Fata metunt, unamque duae juvere sorores.

297. pars diei e margine pro pras dieri. 311. Margo: Pugna XXI in qua Achilles occidit Troilum et ipse vulneratus a rege Persarum Memnone, eundem obtruncabat.

Verum Myrmidones instaurat: nulla rapina
Vos, ait, alliciat dum mucro terga secat.
Nunquam res hostis, victo non hoste, levetis
Saepe fefellit opus praeda levata prius.
Corde leonino vos objiciatis in hostem,
Mens leporis bello vix valet ova duo.
Quot Troilus vobis numeravit funera, nostis;
Novimus innumera, quae numerare velit.
In Troilum solum vires expendite totas,
Discat in auctorem poena redire suum.
Transierat pro parte dies, Troilusque timendum
Trojae praesidium ferreus intrat agrum.
Vectabatur equo tamquam leo fertur in Argos,
Hos fugat, ut credas quod juvet ala pedes.
Myrmidones docti Troilo simul et semel instant
Et Danaos revocant; denuo bella sonant.
At Troilus murus patriae, protectio Trojae
Et rosa militiae pugnat et absque pare.
Haud aliter robustus aper se forte prementes
Consuevit nitido scindere dente canes,
Utitur hic armis quasi fulminibus, populusque.
Corruit innumerus illius ante manus.
Cum sic cornipede versans in Marte coruscat,
Corruit anterius cuspide fixus equus.
Vir ruit et celeri veniens pede saevus Achilles
Surgere conantis dissuit ense caput.
Palpitat et moriens tellurem calce sigillat,
Et faciem magno sanguinis imbre rigat.
Sic tiro juvenis rapitur florentibus annis,
Flos mundi rutilat tempore valde brevi.
Ad Danaos trahere corpus conatus Achilles,
Memnone Persarum rege vetante nequit.
Occisi corpus hic eripit, Aeacidemque

---

332. Cod. nidido. 335. Gualth. Alex. II, 434 Cornipedem versans in dextro Marte coruscat. Müldener legit vexans. 337. Margo: Troilus occiditur ab Achille.

Vulnerat, Aeacides saucius inde meat.
Insequitur Memnon cum Troibus, iste resistit,
Et pugnam, quamvis saucius esset, init;
Sed custodierat prius ille ligamine vulnus,
Ne pareret lapsum sanguinis unda pedum.
Non tulit Aeacides insultum Memnonis acrem
Impetum et multa caede rubere facit.
Nec tenuit gladium Pelides, donec ad amnes
Illum deferret vulnere plaga Stygos.
Non regem miles impune perimerat, ipsum
Contigit a bello vulnera ferre duo.
Occiso rege Persarum brachia torpent
Troum, procedunt segnius arva ducum.
Jam titubant, jam terga dabant palantia Teucri,
Memnonis et Troili mors venit ungue truci.
Pergama praecipites subeunt, et moenia claudunt,
Pugna facit finem nocte fugante diem.

[PAX DECIMA TRIGINTA DIERUM.]*

Rex Trojanorum spatium triginta dierum
Postulat a Graeco pacis habere statum.
Annuit et Troilum cum Memnone Troia venustos
Collocat in tumulos, flendo secuta viros.
Hecuba pro Troilo deducit et Hectore planctum,
Irrigat ingenuas lacrima moesta genas.
Pulmonis rigidas agitant suspiria cellas,
Afficit interior arida corda dolor.
Frendit in Aeacidem calcata saevius hydra
Diri rancoris mente venena gerens.
Et quia vi superare virum diffidere visa
Est, cacabo cordis decoquit illa dolum.

---

346. Margo: Achilles a Memnone vulneratur. 353. Margo: Memnon occiditur ab Achille. 363. Margo: Pax X. triginta dierum et haec erat pax ultima et ita interpolata inter eos fuerat pax VII. annis et decem mensibus.

*) Inscriptiones capitulorum suppletae usque ad finem libri.

Fraudis ad incudem defertur malleus irae
Vindice fabricans igne doloris acum.
Femineam fraudem nemo cognovit ad unguem
Scit magis instabilem pendere nullus avem.
Evocat haec Paridem: nosti patris, inquit, Achillem
Hectoris et Troili membra dedisse neci;
Quo damnum patriae dedit insuperabile nostrae,
Nam Trojae clypeus murus et arcus erant.
Laudes eximias his indita semper honestas,
Inclita militia, perdita vita dedit.
Scis etiam quod erat fortissimus unus et alter,
In stadio mundi non habuere pares.
Fatur et in fando singultus ipsa loquentis
Verbula delacerant, vixque sonare sinunt.
Articulata perit vox, prodit inarticulata
Et singultatis subjicit illa sonis.
Nunc primum flore renitebant ambo juventae,
Vae! toti patriae quum cecidere male!
Dedecus hoc reprehende tuis, si miles es, armis,
Si vivis, tanti criminis ultor eris.
Quoque modo possis, aures adverte, docebo,
Nitere doctrina providus esse mea.
Et si non poteris hoc viribus, arte fruaris;
Arte cadunt turres, arte levatur onus.
Si quis avem velit et aliam rem prendere, rebus
Prendendi caris occupet ille locum;
Abscondat laqueos, laqueus si forte videtur,
Res prendenda fugit, spesque relicta perit.
Cautus enim foveam metuit lupus accipiterque,
Suspectos laqueos tu quoque milve fugis.
Providus est, sapiens est, fortis, cautus Achilles:
Ars cautum caute fallere cauta solet.

---

394. Marg. Si vividus es. 395. est Gualteri Alexandr. I, v. 83. 398. Pamphil. III, 14. Totus hic locus 397—403 periphrasis est Pamphilii III, 12 sqq. 403. 4. Imitatio Horat. Ep. I, 16, 50. 51.

Cautus enim metuit foveam lupus accipiterque
Suspectos laqueos et opertum miluus hamum.

Ut vulpes vulpe capiatur, raro videtur;
Assa tamen vivam decoriare potest.
Aeacidae mentem quum nostra Polyxena tangat;
Ipsum, quod capiat, rete puella neat.
Mitte virum, qui dicat ei, quam diligas, optat
Foedere conjugii rex sociare tibi.
Pes tuus in fanum conscendat Apollinis, ad nos
Illico compleri si tua vota velis,
Et veniens venias sine multo milite solus,
Turbari turba turbine forte potest.
Sint ea verba mea, non sint tua; nuntius autem
Sit tuus; est verbis credulus ille meis;
Insidias habeas illo veniente paratas,
Tunc quasi vir surge, brachia laxa move,
Et moveant socii, nec cessent dextera, donec
Multorum mortes mortuus ipse luat.
Sis bene sollicitus peragens haec omnia caute,
Solus secreti conscius esto tui.
Cum semel emissum, volet irrevocabile, verbum:
Admoneo, veniat ne quis ad ista loquax.
Hujus Alexander veluti temerarius ausum
Propositi spondet, sponsio cauta latet.

[NUNTIUS MITTITUR AD ACHILLEM.]

Nuntius interea vadit dicturus Achilli:
Hecuba me misit dicere pauca tibi;
Filia nostra tibi dilecta Polyxena, dico,
Te, velut optabas, impatienter amat.
Si te delectat Veneris decerpere flores,
Ejus in amplexu sit mora nulla, veni.
Et ne propositi frangatur fabula nostri,
Consilio comitis incomitatus ades.
In fano Priamus exspectat Apollinis, intres,
De sponsalitiis illico certus eris.

---

410. Margo. spinne. 425. Horatii est epist. I, 18, 71. 433. Ov. Rem. 103
Sed, quia delectat Veneris decerpere flores.

Succedent taedae regali stemmate, sponsa
His tua deliciis est potiunda tibi;
Nec tepido desiderio pulcherrima virgo
Pendet ad adventum laeta libensque tuum.
Tu quoque nulla feres deinceps incommoda Trojae,
Ut repetat patrios Graecia lassa lares.
Illusit blandis, quorum sibi copia, verbis
Hecuba tironem, sic fabricando necem.
Exhilarescit homo, quem foemina melle nocivo
Fraudis inescarat, falsaque vera putat.
Vixque moram patitur, vix jam sua gaudia differt,
Jam cupit amplecti, jam bona pacta dari.
Retrahitur tamen ille metu, metuitque venire;
Sed si non veniat, vota perire putat.
Saepe metu spes victa cadit, veniat maneatne,
In mentis secum disputat ipse schola.
Denique fidus amor, quidquid properantibus obstat,
Fingit, et ad causas ingeniosus erit.
Interutrumque tenet, spem scilicet atque timorem,
Speque timor dubia, spesque timore cadit.
Ire tamen restat, quia calcar amoris acutis
Incitat hunc stimulis; credulus ergo stetit.
Credula res amor est, leviter ducuntur amantes
Dantque pedes reti credulitate levi.

---

449. Ovidii est Metam. IV, 350. 453. Similes sunt Ovidii loci Trist. IV, 3, 12

Cur labat ambiguo spes mihi mixta metu?

et Her. XIII, 124,

Spes bona sollicito victa timore cadit.

455. Ov. Her. II, 21. 22

Denique fidus amor, quidquid properantibus obstat.
Finxit, et ad causas ingeniosa fui.

457. Ov. Met. II, 140 inter utrumque tene. 458. Ov. Her. IX, 42. 461. Ovidii est Metam. VII, 826 credula res amor est.

[CAEDEM ACHILLIS PRAEPARAT PARIS.]

Tempus erat, quo cuncta silent, cum fortibus armis
Fortes in fani collocat aede Paris.
Protinus ut vobis, ait, ostentavero signum,
Aeacidae vester in caput ensis eat,
Spicula densa gulam percurrant, lancea ventrem,
Deprope stans ambas abscidat ense pedes.
Nec prius insani deponant arma lacerti
Quam ferus Aeacides vivere ponat ibi.

[OBITUS ACHILLIS.]

Altera lux lucet, coelo sol aureus exit,
Fanum Pelides Antilochusque petunt.
Credulus ad vocem mulieris provenit, impos,
Concitus ante fores, irrita vota gerens.
Pro superi! quantum mortalia pectora caecae
Noctis habent; intrant, nulla nociva timent.
Insidiae surgunt; capiti se mucro maritat
Telaque pro telis hic volitare vides;
Lancea per corpus sponsalia saeva propinat,
Cerberus hic festa non Hymenaeus amat.
Sperarat, melius quod pulchra Polyxena taedis
Illum debuerit exhilarasse suis.
Vir pro virgineis fera sentit bella lacertis,
Pro molli vero vulnera dura toro.
Quid faciet tiro? caret inclita dextera conto,
Non fuit aurata casside pressa coma;
Non pectus lorica tegit, non crura tuentur
Ocrea, non ferri lamina densa latus;
Nec clipeus vasti caelatus imagine mundi
A collo pendet, nudus uterque patet.
Pro parma replicat chlamydem, manus arripit ensem,

---

463. imitatio Virgilii Aen. II, 268:
Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
Incipit.
475. Ovidii est Metam. VI, 472. 73. 481. melius pro codic. molius.

Diffidit oppositos, vindicat ense dolos.
Quae potuit, fecit; ne nil ageretur, aravit
Vomere quo poterat; totus inermis erat.
At mortis genere se consolatur honeste,
Falsos quos reputat, non sine morte secat.
Antilochus juvat Aeacidem, contorquet et ipse
Pro scuto chlamydem, distulit inde necem.
Non poterant durare duo tam dispare bello,
Tactibus assiduis interit icta chlamys.
Non erat armatis aequum concurrere nudos,
Aut contra tantos ferre duella duos.
Ambo ceciderunt, ceciderunt ambo; quis unquam
Ferre diu posset talia bella gigas?
Sic cadit Antilochus, sic, sic, formosus Achilles,
Sic Paris infanda morte trucidat eos.
Projiciantur, ait, haec foeda cadavera corvis,
Sint canibus saevis, sint alimenta lupis.
Immo, refert Helenus, potius reddantur amicis,
Non debes hominum pascere carne canes.
Reddatur Danais collectum corpus Achillis,
Important castris alteriusque ducis.
Egregium Priamo rex concedente sepulchrum
Erigit, hoc strati militis ossa tegit.
Graecia more suo decus exequiale frequentat,
Fortem deplorat, unguibus ora secat.

[ORATIO AGAMEMNONIS AD GRAECOS DE PERGENDO BELLO.]

Convocat in coetum rex Graecos: perdimur omnes
Paulatim proceres, et quid agemus, ait.
Corruit Aeacides nostri fiducia belli,
Nolumus aut volumus ulteriora sequi?
Hic sumus et studio transimus tempus inani,
Nec quae praeteriit hora redire potest.
Non discedemus proceres; quid consulitis? si
Forte recesserimus, plebs vitiosa sumus.

Quid perfecerimus? quibus ostentare valemus,
Si verbis opus est edere, turpe loqui.
Quidve domum ferimus decimo nisi dedecus anno?
Occisi cives, interiere duces.
Troja stat et nostros subsannat laeta labores,
Vivit adhuc, Helena non redeunte, Paris.
Et si nos illa nondum redeunte redimus,
Claudimus aeterno proelia longa probro.
Unde decere reor, ut adhuc sudemus in armis,
Cras poterunt fieri vota precantis heri.
Forsitan ad Danaos faciet fortuna volatum;
Fortunae series est variare vices;
Fortunae non stare status, deludere; ludus
In risu plorat, alta petendo labat.
Hoc firmum servat quod nunquam firma, fidele
Hoc solum retinet, quod caret illa fide;
Hoc solo verax quod semper falsa probatur,
Hoc solo stabilis quod manet absque statu.
Illa suam volvendo rotam, fortassis Achivam
Introitu grato vult penetrare domum.
Si fortuna volet, in campum Troja redibit,
Cujus nubigerum nunc caput astra premit.
At divina juvat oracula quaerere, quisnam
Ancipitis belli terminus esse velit.
Respondetur eis, quod progeniem per Achillis
Debeat ad finem bellicus ire status.

---

537. Auson. Epigr. 143, 1.
Fortunam nunquam sistit in eodem statu.
Semper movetur: variat et mutat vices,
Et summa in imum vertit ac versa erigit.

540 sqq. Similis locus Ov. Trist. V, 8, 15 sqq.
Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat
Et manet in nullo certa tenaxque loco:
Sed modo laeta manet, vultus modo sumit acerbos,
Et tantum constans in levitate sua est.

543. Amm. Marcellin. XXXI, 1. Fortunae volucris rota, adversa prosperis semper alternans.

[NEOPTOLEMUS ACHILLIS FILIUS FIT DUX MYRMIDONUM.]

Filius Aeacidae Pyrrhus fuit, hic Lycomedis
Tunc erat in tectis, nam fuit ejus avus.
Ille Neoptolemus quoque dicebatur, eratque
Strenuus et fortis, totus imago patris.
Quis potius levat arma patris quam filius ipse,
Rex ait; huc veniat Myrmidonesque regat.
Pro Pyrrho Menelaus abit, sed nec Lycomedes
Invitus juvenem mittit et ille venit.
Virtutum pedibus patris in vestigia Pyrrhus
Calcat nobiliter, fortis ut ipse pater.

[AIAX TELAMONIUS OCCIDIT PARIDEM, SED IPSE VULNERATUS OBIIT.]

Pax brevis exspirat, aspirant proelia, bellans
Vix respirarat, denuo bella parat;
Hic et ibi clamatur: ad arma; valenter: ad arma!
Effrenis populus currit ad arma citus.
Cum Danais Agamemnon adest, Trojanaque virtus
Portis erumpit, ut maris unda fluit.
Horrisonis litui vexant ululatibus auras,
Et tanquam tonitrus ingruat, hinnit equus.
Jam se commiscent acies, jam tela propinquant,
Jam rutilant enses, compluit arva cruor.
In primo dominus clypei septemplicis Ajax
Agmine praeradians gramina caede replet;
Infinita cadunt ab utraque cadavera parte,
Ut jam funeribus ampla deesset humus.
Non potuit solus deducere Cerberus umbras
E bello missas in Phlegetontis aquas;
Nec ferruginea subvectat corpora cimba

---

556 margo: ad veniendum se parat, 561. Margo. Pugna xxij, in qua Ajax Telamonius occidit Paridem, prius tamen idem Ajax vulneratus ab eodem Paride in castris obiit.

Solus terribili squalidus ore Charon.
Ajax nudus erat; quae te mens optime miles
Illoricatum saeva sub arma tulit?
Te meminisse velim; telum mortale cucurrit
Colla per incauti quod Palamedis heri.
Felix quem faciunt aliena pericula cautum
Et cui dat nitidum littera nigra librum.
Nos aliena docent, felix quicunque dolore
Alterius didicit posse cavere suum.
Ajax horrendis versatur inermis in armis;
Et fodit illius lata sagita latus,
Scilicet a Paride, qui tenso gnaviter arcu
In Graecas animas spicula plura dabat.
Ajax iratus. Calcaria dat dolor ire,
Qui sectans Paridem caedit ad usque necem.
Caede fatigatur miles, cum castra petisset,
Et telum lateri detraheretur, obit.
Corpus Alexandri portant in moenia Teucri,
Ejulat urbs tota funere moesta viri.
Mox ruit in Phrygios Diomedes, quos fugitivo
Se facit in portam praecipitare pede.
Protinus insequitnr Agamemnon et obsidet urbem
Ponendo vigiles et variando vices.
Per totam noctem circumdant Ilion Argi,
Muri non unus clamat ab arce vigil.

---

578. e margine pro spualidus. — Margo char. nauta mortuorum. 583. Plaut. Merc. IV, 4, 40. Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit. Ter. Heaut. I, 2, 35: hoc scitum est, periculum ex aliis facere tibi quod ex usu siet.

Noster ex his locis fortasse sententiam depromsit, quae proverbii loco in ore nunc est.

585. 6. Tibull. III, 6, 43. 44

— — quicunque dolore
Alterius disces posse carere tuo.

In hoc Tibulli loco nonnulli codd. etiam, ut noster Albertus, cavere legunt. 591. Cod. carcaria. 598. Cod. S. f. praecipitare pede in portam.

[LUCTUS TEUCRORUM DE PARIDE.]

Postera depulerat stellas Aurora micantes,
Exquirunt luteas corpora strata domos.
Subterrat Paridem regali curia cultu,
Vivum debuerant quem sepelisse diu,
Vivus enim multos occiderat ipse, fuitque
Innumeris populis publica causa necis.
Ledaeam pariter Paridis mors laesit, eamque
Esse dolorosam lacrima multa docet.
Prodit enim luctus inconsolabilis ipsam
Vere tristitiam non habuisse levem.
Rex cum regina considerat; est manifestum,
Rex ait, hanc vera nos adamasse fide.
Illa fides infida nimis, bonitasque maligna
Infamis fama, laus lue plena fuit,
Quae proprium populum contemnens, immo maritum
Moecha fuit, moechum prava secuta malum.

[GRAECI TROIANOS AD BELLUM VOCANT.]

Postera lux radiis latum patefecit ut orbem,
Miles in urbe manet, limine porta studet.
Provocat ad portam Trojanos hostis Atrides;
Qui foris insultant, probra minasque boant.
Alterutrum mittunt vitiosas ore sagittas
In pharetram cordis vilis ab igne datas.
Surgit ironia risumque colorat amarum,
Lingua jacit jaculum mellea felle litum.
Ingeminant blaesos naso crispante cachinnos,
Probra canunt, turpe surgit utrimque melos.
Inter tot vitia simul et convitia Troes
Crebrius in pugnam buccina Graeca vocat.

---

603. Ov. Metam. VII, 100. 619. ut orb. ex Ovidio et e marg. pro cod. in orb. Ov. Met. IX, 794
Postera lux radiis latum patefecerat orbem.
626. lirum.

[PENTHESILEAE ADVENTUS ET DESCRIPTIO.]

At Priamus murum munivit, bella silere
Maluit, in causa Penthesilea fuit.
Haec in Amazonibus regnabat divite regno
Illustris, fortis, bellica trita satis.
Haec siquidem miles erat optima, nec sine laude
Rexit cornipedem, reddidit ense vicem.
Hasta nobiliter occurrere noverat hastae
Tergore cornipedis praecipitare virum;
In campo currentis equi fuit illa magistra,
Nec modicam laudem tibia mota dedit.
Pulchre calcat equum, propulsat pulchrius illum
Perpulchre girat, singula pulchra parat.
Militiae calcar in plata, calcar honoris
In fama, bene fert illud et istud ea.
Aurea ferrato calcat calcaria calce,
Auro frena citus splendida mordet equus.
Inclyta miles erat, erat alaque tota Quiritum,
Quae tanta laetae principe semper erant.
Praeterea formosa fuit; naturaque multis
Laudum muneribus nobilitarat eam.
Orbem dat capiti naturae circinus orbum,
Orbis uti statuat forma globosa trochum.
Fulgurat in crine nitor auri, lilia fronte;
Quem simul ut speculum tu speculare locum.
Sub specula frontis vaccinia nigra leguntur
Quum superciliis est color ille datus.
Si spectes melius, geminos intersecat arcus
Non obfuscatae lactea forma viae.
Excubiae frontis spectant laetanter ocelli,
Luce smaragdinea sideris instar habent;
Nec stat nec transit plus recto regula nasi,
Hic aquila, bello, simia, cede loco.

---

637. hasta e marg. pro cod. hastae. 638. Cod. cornipede. 643. calcar secundum e margine pro cod. carcar. 655. vac. nigr. leg. Virg. eclog. II, 18. 661. Margo: nec aduncum nec torvum. 662. bello pro cod. pello.

Pirula directo partitur tramite nares,
Non tumet, aut aliqua deviat illa via,
Nolumus hanc torvo vel adunco scribere naso
Inque cava nullus est ibi nare pilus,
Non est vel modica maculae reprehensio mali
Nec laedit nares virque paterque gregis;
Est et aromaticus non rusticus halitus oris,
Nescio quis melior thuris et oris odor.
Aurorae facies quasi filia, dum rubor illi
Et candor, neuter est et uterque color.
Os cycli quasi dimidii ridendo resultat,
Vult laudem spatio promeruisse brevi.
Quodam se praebent pugnantia labra tumore,
Sed modico rutilant non tamen absque modo.
Statura similes dentes compaginat ordo,
Estque nitescentis aemulus ordo nivis.
Respicias mentum, mentum tam nobile mentem
Amentem reddit, si quis amare velit.
Et colli Pario quasi marmore secta columna
Scit speculam capitis more levare gruis.
Visum cernenti, cor furaretur amanti,
Quae crystallino gutture forma micat.
Voce vocat laudem, quia vox imitatur olorem
Est tam grus collo, quam philomela sono.
Et quales humeri! neque decedunt neque surgunt,
Ut jaceant vel stent, gratius ambo sedent.
Quam veniunt simul ab humeris tam stemmate longo
Bracchia, quam gracili deliciatur ibi.
Non carnosa manus sed carnea, gaudet ab intus
Ossibus et nervis, carne nitente foris;

---

664. tumet e margine pro timet. 665. Ov. Ars I, 520. 668. e margine pro graecis. Ov. Ars I, 522
Nec laedant nares virque paterque gregis.
673. e marg. cycli pro sicli, resultat pro refultat. 680. e marg. amare pro amore. 686. pro filomena. 687. S. Alanus Anticl. lib. I. p. 11, lin. 4. 5.
Non male colla sedent, humeris non insidet alta
Cervix, at spatio surgit distincta modesto.

Sic tamen interius ut sit substantia mollis
Exterius macies carnea pulchra nimis.
Exornat digitos, digitis si forsan inhaeres,
Linea directa, lactea, longa, teres.
Huic digitis digitos reflectere, sive reducto
Pollice brachiolum tangere moris erat;
Nec minuit laudes quod sunt sine sordibus ungues,
Quos nequeo longos vel reputare breves.
Pomā mamillarum modico suspensa tumore
Producens prodit pectus, imago nivis.
Nulla mollitie dependent fracta, sed ipsa
Duritie casti signa pudoris habent;
Virgineas stare videas utrinque papillas
Et veluti gemmas irrutilare duas.
Quum dederit natura duas, ars demserat unam,
Iret ut ad gladium libera dextra manus.
Non patet immo latet niveum latus, ille pugilli
Circumscriptibilis est brevitate locus.
Non se distendit, nec enim se contrahit alvus,
Mollitie tumida sed bene fusa sedet.
Ad tergum vertamus iter, quasi pinea malus
Stat, bene membra sibi continuata tenens.
Partes occultas non est laudare necesse,
Penna nativam nec reserare seram.
Caetera quae laudem pariunt, reticendo loquuntur,
Et recitando tacent haec quia laude vigent.
Aptius haec anima poterit quam lingua fateri,
Non decet interdum singula verba loqui.
Candida se gracilem protendit tibia, raris
A latitante genu carnibus ossa tegens;

---

699. Ov. Ars I, 519 — — et sint sine sordibus ungues 701. Alanus Anticlaud. lib. I. p. 11. lin. 6. 702. 3. Alan. ibid. lin. 8. 9. ubi tamen ultimus versus
Duritie proprii describunt signa pudoris.
716. reserare pro cod. referare. 717. Alan. l. c. p. 11. lin. 13. 14
Cetera quis nescit meliora latere sub istis
Quorum sola gerunt placidi praeludia vultus.

Sed non invideo suras ibi carne decoras,
Sic tamen attingat ne pudor ille pedes.
Infima demonstrat tales tibi tibia talos,
Ut bene congeries ossea nodet eos.
Exornant nitida simili compagine crura,
Et quasi sint crurum confugiumque pedum.
Pes brevis et niveus, cavus intra, sed teres extra
Exiguo calce calcat et osse solum.
In pedibus pedicae neque rectae sint neque tortae
Non hoc non istud inter utrumque sitae.
Pollex directe protenditur, altera primo
Altior ut series a pede deinde minor.
Nec pedicam pedica quasi spectat plantave plantam,
Sed pes directe cum pede servat iter.
Pes brevis in nivea pulchre celatur aluta,
Nec vagus in laxa pes ibi pelle natat.
Reginae corpus si talis imago venustat,
Nescio quis specie nobiliore cluat.
Cultu forma nitet, hac femina dote superbit,
Quis dubitat, cultus qui sit opimus ei?
Candescit bysso toga carni proxima, blandam
Ne forsan laedant fila proterva cutem.
Stringitur, ut mammae constringat fascia fascem
Accendit Veneris surgere visa facem.
Turbida mens geritur, ubi turgida mamma videtur,
Res ea fit cordi nuncia saepe mali.
Purpura dat tunicae quo convenienter euntis
Longo per plateas syrmate lambit humum.
Disputat hic lana cum lana murice tincta
Utrum sit melior ille vel ille color.
Nec tantum renitet fulgenti murice vestis,
Auro formatis fulget et ipsa rosis.
Armellus, castor, martur, bever atque saberus

737. Ovid. A. Am. III, 271:
Pes malus in nivea semper celetur aluta.
738. Ovid. A. Am. IV, 516. 748. Cod. tunicam. 750. e margine pro surmate. margo praeterea praebet syrm. quod teutonice dicitur suansz.

Dat varium pannis convenienter opus.
Zona premit latera de bysso texta retorta,
Gemma stelliparo fulgure dante jubar.
Alternis vicibus argenti sidus et auri
Hic nitet, ansa tamen aurea tota rubet.
Brachia luxuriant armillis, lamina nectit
Argenti manicas, ut bene stringat eas.
Ars et materia certant in veste serena,
Quam dicunt chlamydem vix habet illa parem;
Materiam vincat opus an vincatur ab illa,
Iudicio poterat nemo probare levi.
Nobilitas digitos rutilantis circinat auri,
Multiplici jubare gemma superbit ibi.
Indice contentus ignita luce pyropus
Auri de medio solis ad instar ovat.
Saphiri species digitis aptissima regum
Ornat amazonicam luce micante manum.
Fulgidus obrizo carbunculus ardet in auro,
Claraque solifero provocat astra rogo.
Jaspis in argento viret, undam sanguinis arcens,
Hic latet in viridi zona colore rubens.
Omne perit viride viridi fulgore smaragdus,
Hic viret et viridi lumina luce fovet,
Hic adamas chalybe glaucus de sanguine solum
Solvitur hircino, fit homo prosper eo.
Pendebant nitido diffusa monilia collo,
Gemmas inspicio, nec numerare queo.
Pectus enim gemmis quasi celum fulgurat astris,
Hac radicante sed hac praeradiante magis.
Clarior argento, fulvo conspectior auro
Fulmine gemmali fibula lata micat.
Quaeris utrum rutilans sit forte topazius hicce
Tangens calce polum, vertice vero solum.

---

773. Gualter. Alex. I, 236
Lucidus obrizo crinalis circulus auro.
779. cod. claucus. 780. margo. sc. adamante. 781. Virg. Aen. VII, 278
Aurea pectoribus demissa monilia pendent.

Quam ditat gemma, decorat sculptura, tacere
De fulvo mustum vase gerente volo.
Hoc quoque transilio, quod bella monilibus ipsis
Aequiparativa pro paritate parat.
Taedia ne pariam, praeclaram transeo vittam,
Quae premit egregiam ceu diadema comam.
Aurea caesaries sub vitta colla pererrat,
Litigium crinis fulva refrenat acus.
Est et in incessu pars non contemta decoris,
Observat medium progrediendo gradum.
Cum ridet, ridet autem pro tempore, ridet
Ut summos dentes ima labella tegant.
Sic sedet, sic culta fuit, sic stamina nevit
Candida cum sociis Penthesilea suis.
Militiam forma sic ornat florida, formam
Inclita militia, compoliuntur ita.
Haec, quia multa sibi fuit experientia belli,
Trojanum bellum rege petente petit.

[DE AMAZONIBUS.]

Est in Amazonibus haec consuetudo: reguntur
Per se nullius sub ditione viri,
Et poteris sermone brevi, quam dicimus ortam,
Si mea verba notes, enucleare rei.
Ante quadringentos et quadraginta bis annos,
Quum caput imperii condita Roma fuit,
Indolis egregiae juvenes duo forte Scytharum
Ipsis temporibus incoluere solum;
Plinius unus erat, decorus Scolopecius alter,
Strenuus et validus unus et alter erat,
Qui multa quia pollebant virtute, fugati
Invidia terris sunt stimulante suis.
Haec fax invidiae magnatum prodiit igne,
Robur eorundem quos timuisse liquet.

797. cod. pras. 800. Ov. Ars III, 284
Et summos dentes ima labella tegant. 815. Nomina juvenum sonant mox Ylinus et Sclopitus, mox Plinus et Scholopythus, mox Plyinus et Solapesius.

Cedunt et juvenum non pauca frequentia secum,
Mentibus et membris qui viguere satis.
Cappadocum gentes adeunt et moenia Ponti,
Insidiis cincti sed perimuntur ibi.
Venit ad uxores illorum de nece rumor,
Et succrevit eis cum feritate furor.
Vindictam propriis intendunt tendere dextris
Et non ignavis mentibus arma cient.
Hujus propositi sit ut omnibus una voluntas,
Interimunt omnes, quos habuere, viros.
Exiliunt, et ab his Asiam fit pugna per omnem,
Incipiunt belli prosperitate frui.
Et comitabatur victoria semper easdem
Oppositos terrens, promta trophaea ferens.
Quaelibet illarum jam pace per arma reversa
Disponit, fuerint quae facienda domi.
Si quam delectat, immo delectat habenda
Gaudeat ut prole, mater et esse velit,
Illustrem vocat illa virum; vir amatur ut hospes,
Quae quum se gravidam senserit, ille redit.
Filia diligitur, nutritur ad arma, docetur;
Filius in stygias praecipitatur aquas.
Cremento careat ut dextra mamilla, crematur,
At caret, ut bellis promta sit illa manus.
Nomen Amazon habes, quasi dicas absque mamilla,
A sine praesentat, mammaque mazon erit.
Regnum reginae quondam rexere duales;
Et regno fuerat inditus iste status:
Una domi patriae custos fuit, altera vero
Pro regni spatiis extulit arma foras.
Una quidem tenuit Marsepia, Lampeto nomen
Altera; regnabat haec foris, illa domi.
Has inter virtutis opes Marsepia mortem
Hostili gladio fraude subacta tulit.
Filia cui Sinope succressit dignaque laude

847. Cod. reginis duabus. 851. 53. Apud Orosium nomen Marpesia sonat.

Perpetua studuit virginitate frui.
Europam simul et Asiam domuere potenter,
Maximus hinc orbi crevit utrique timor;
Unde solebat eas e bello copia praedae,
Captivus populus, gloria magna sequi,
Formidant regna, premit admiratio mundum:
Totum foeminea membra domare solum.
Aedificant Ephesum memorandaque moenia; solae,
De quibus insignis fama volabat, erant.
Istaque duravit annis victoria centum,
Durat adhuc quod habet nulla virile jugum.
Amphytrionides licet invictissimus esset,
Viribus inpetere non erat ausus eas.
Calliditate magis est usus, robore plenis
Dicitur his ratibus applicuisse novem.
Narrant Antiopen tunc Orithyamque fuisse
Supra sicut habes, in ditione pares.
Ex inopinato petit has Alcmenica proles,
Caedit, prosternit nec sine strage capit.
Hoc bello capiunt Menalippen, Hypolitenque
Orithyaeque fuit utraque virgo soror;
At Menalippe redit violenter ab Hercule capta,
Huic tamen arma, quibus haec erat usa, manent.
Theseus Hypoliten sibi copulat, Hypolitumque
Procreat, huic jugulum saeva noverca parat.
Non meus haec sermo testatur, Orosius; ista
Cujus habent plenam singula verba fidem.
Post hanc Orithyam, de qua modo mentio surgit,
Intrat regalem Penthesilea thronum.

---

858. in margine ubique. 862. Cod. femineam. 871. Cod. Orichiam. 875. Menalippen ex Orosio posuimus pro cod. Menelippen. 877. Cod. Menalappe, ob paritatem v. 874 posuimus Menalippe. 881. Orosius histor. I, 15 eadem de Amazonibus quae noster praebet, paene iisdem verbis narrat.

[LIBER QUINTUS.]

[INCIPIUNT CAPITULA QUINTI LIBRI.]

Gaudet in adventu Priamus rex Penthesileae.
Pulchre suscipitur. Ad bellum tota parantur.
Obterit Argolicos aliquantis pugna diebus.
Exspectatus adest Pyrrhus, patris arma profundis
Tollit lamentis, connectit pugna cohortes
Velnam terribiles. Danais jam terga daturis
Cor revocat Pyrrhus idemque superba locutam
Armis non levibus obtruncat Penthesileam.
Trojani fugiunt, persuadet Teucria pacem,
Sed placet Amphimacho vinci vel vincere bello.

[GAUDIUM PRIAMI OB ADVENTUM PENTHESILEAE ET DESCRIPTIO AEDIUM.]

Multa fidem promissa levant laudandaque virtus
Crescit et immensum gloria calcar habet.
Princeps Trojanus occurrit Penthesileae,
Hanc laudat, laudum cimbala virgo probat.
Buccina laetitiae clangit praeconia, pangit
Grex domicellaris seria picta jocis.
Herba smaragdat humum, florum pictura colore
Verberat intuitum, mulcet odore locum.
Floribus et ramis vestita platea diescit,
Intermixta tubis fistula dulce canit.
Inclita per largas dilatant olla fenestras,
Circumdant niveas Indica fulchra domos.
Regia reginam recipit, reginaque totam
Nobilitans aulam pulchrius ornat eam.
Adventu dominae domus exultare iubetur,
Atria vestit ebur, purpura lata toros.
Aridet thalamus obrizo fulgidus auro,
Assurgunt omnes Laomedontis opes.
Aulaeis aula varie velata resultat,

1. Horat. Epist. II, 2, 10. mult. fid. prom. lev. 19. in margine scholion: cortinis.

Illic Mars dubius militat, hicque Venus.
Pingitur in solio Ninus rex Assyriorum
Intendens totum Marte domare solum;
Romam pugna petit hic annos mille trecentos,
Quae spatium posuit urbis et orbis idem.
Vicit, quem tenuit Zoroastrem Bactria regem,
Qui magica primus doctor in arte fuit.
Hic rubeum videas mare rubrum, littora cujus
Expugnans Ninus pugnat ad usque Scythas:
Gentes innumeras superatas, hunc superantem,
Destructas urbes, diruta castra vides.
Et tandem praesentat eum cortina sagitta
Trajectum, moriens sanguine pingit humum.
Semiramis succedit ei, reginaque celsum
Hic subit aurivomo picta colore thronum.
Cujus ut haec regnum sic sumsit et effera bellum
Immo manus armis extulit illa magis,
Indos invasit, domuit, servire coegit;
Res ea diverso picta colore fuit.
Praeteream quod praeter eam non indidit Indis
In toto mundo bella nec unus homo.
Magnus Alexander totius malleus orbis
Solus et haec mulier hunc domuere locum.
Bella patent, sed scorta latent, pars maxima rerum
Offendet, si non interiora tegas.
Sed Treverim pictura levat, quam Trebata fundat

---

23 sq. Narratio invenitur apud Oros. histor. I, 2, quem noster non plane intellexit, certe obscuriori dictione gavisus est, ubi Oros. simpliciter: ante annos Urbis conditae mille trecentos Ninus rex Assyr. etc. Orosius I, 4 et II, 3 sqq. has historias narrat, quas hic pictas enumerat. 25. Scholion. Zoroastes regnavit in Bactria, qui magicae artis inventor fuerat. 28. Cod. jubeas nos videas. 39. Orosius l. c. „Indis quoque bellum intulit, quo praeter illam et Alexandrum Magnum nullus intravit.“ 43 sq. Orosius l. c. „privatam ignominiam publico scelere obtexit.“ 45. Narratio de filio Nini Trebata invenitur Gesta Treviror. ed. Wyttenbach vol. I. p. 4, ubi ea, quae hic antea leguntur, etiam ex Orosio exhibentur. Apud Gualtherum, in quarto Alexandre-

Hoc quoque de proprio nomine nomen arat.
Tunc, quasi septennis Abraham patriarcha fuisse
Dicitur, a Nino Trebata natus erat.
Regno Semiramis hunc expulit, ille novercam
Renuit horrendo quam violare thoro.
Turris celsa Babel, coelum contingere nisa,
Pingitur in capite, nec caput illa capit.
Obstat linguarum confusio, non tamen omnem
Amputat effectum, grande cacumen habet.
Per passus quinque dabis illi millia centum
Et decies septem millia bisque duo.
Ponitur a latere Babilonia, prima corona
Totius imperii, Trojaque surgit ibi.
Ilus, Laomedon, Priamus, Priamique propago
Et Tros praecipue Laomedontis avus,
Thermodontiaca sequitur victoria, totas
Pessumdans Asiae non sine caede plagas.
Picturae Priamus dat Penthesileaque finem;
Pascitur intuitu virgo tuendo diu.

[DESCRIPTIO AULAEORUM.]

Sunt etiam variis contexta tapetia formis,
Prima tenet medium philosophia locum.
Terra pedes, aqua venter, haec pars pectoris aer,
Ignis frons capitis, his bene texta locis.
Ter tria ter, dextra bis, bina bis altera palma
Continet et tenui veste decora nitet.
His numeris elementa ligat, videasque locantem
Bis sex in medio, tramite bisque novem.
Quattuor hi numeri sibi qua vi sint sociati,
Bis duo respondent hac elementa sibi.
Frigida ne pugnent calidis, humentia siccis
Sed sint ponderibus ipsa librata suis;

---

idos libro, historiae veteris testamenti simili modo picturis repraesentantur. 61. scholion marginis Termod. Amazonica. Termodon fluvius Amazonum. 75. Ovid. Met. I, 19.
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis.
76. Ov. Met. 1, 13 Ponderibus librata suis.

His numeris se dissociant sociantque vicissim,
Sunt in amicitia, sunt inimica tamen.
Et quamvis spatio distent, tamen omnia fiunt
Quattuor ex istis, rursus in ipsa cadunt.
Sic licet ignis aquam semper contrarius, humor
Omnis sensibiles res creat atque calor.
Altum flamma petit, propior locus aera cepit,
Sederunt medio terra fretumque loco.
Se graviora levant levioribus et leviora
Pacifica lyra per graviora gravant.
Tellus rarescit in aquis, aqua fit levis aer,
Aer purus erat, purior ignis erit.
Ordine converso redit ignis in aera densum,
Hic in aquas, rursum terra creatur aqua.
Ex aliis alias reparat natura figuras
Cuncta novas, species nec sua cuique manet,
Nec perit in toto quidquam, mihi credite, mundo;
Sed faciem varíat et novat esse suum.
Quum fit res aliud, quam quod fuit ante, vocatur
Nasci, sed quando desinit esse, mori.
Totus hic a numeri ratione retexitur ordo,
Hic veluti pulchre pulchra tapeta docent.

[DESCRIPTIO AULAEORUM.]

Libera se studia monstrant septemplice cura,
Intrat Donatus subsequiturque Plato,
Rhetor, arithmeticus, geometer, musicus, Atlas,
Quo manet allectus, quemque moratur opus.
Scilicet est cupidus studiorum quisque suorum,
Ponere consueta tempus in arte juvat.
His subdividitur physicus, speciesque salubres
Hic truncat, morbos sorte vel arte fugat.

---

83. 84. Imitatio Ovid. Met. I, 26 sqq. 86. Cod. lire. 101. Cod. arismeticus. Atlas pro astronómico positus. 103. 4. Ov. Pont. I, 5, 35. 36.

Scilicet est cupidus studiorum quisque suorum
Tempus et adsueta ponere in arte juvat.

Moribus humores, mores humoribus apti
Indicio physici discutiuntur ibi:
Pulsus et urina. Primum ergo dociva requirit,
Quid natura mali cogitet, illa duo.
Ad fines transire duos sapientia fertur
Ut sit homo sanus corpore, mente scius.
Hinc est quod physica de septem non erit una,
Sed subdividitur hinc vigor, inde valor.
Se rotat in medio fortunae luna, recrescit,
Decrescit varias orbiculando vices.
Regnat Alexander, Darius regnavit, in imo
Balthasar est positus, surgit ad astra Cyrus.
Philosophi calcantur ibi, calcatur honestas,
Virtutum videas quattuor ire vias.
Solvitur in risum, tamen insinuat sine risu
Seria, quod prope se virgo tapete videt.
Sola stat in monte carpendo vireta capella
Ex inproviso prosiliente lupo.
Tu quo jure mea, lupus inquit, pascua mordes?
Crede mihi, feci nescia: capra refert.
At lupus intonuit: reddes convivia pelle;
Unde levat tales haec tremebunda preces:
Praeventam mortem missis concede duabus,
Una tibi, domine! prosit et una mihi.
Fac, ait. Illa canit altum diapente caprizans;
Affuit opilio, prosiluere canes.
Cui lupus auffugiens poteras legisse, canebas;
Non mihi sed cantus profuit ille tibi.
Plus alii pro te quam tu tibi credere noli,
Qui tibi dormitat, scit vigilare sibi.
Mimi, mendaces, balatrones, hoc genus omne
Ludunt in talis, amphora cincta ciphis.

---

117. Margo: Hi ponuntur non quia ante tempora illa fuerint, sed quia gannit similitudinem aliorum et talium. 136. Anon. Nevel. p. 527 lin. 11. 137. Horatii serm. I, 2, 3, ubi tamen mimae. 138. Sensus: hi ludunt, interea adportatur amphora scyphis cincta.

Initiunt tandem digitorum vincla; lapillis
Sic ludit gluto, cum calet ille mero.

[INSTITUTIO COENAE.]

His in imaginibus spatiatur mentis ocellus,
Virgo fit hinc multis exhilarata modis,
Tunc positis triteis cedrina matre locatis
Incipiunt gratis se refovere cibis.
Sollemni Cereri repletur eburnea mensa,
Sarcinat argentum regia pompa dapem.
Crateras auri statuunt et vina coronant,
Singula dum libant, tinnula sistra sonant.
Fulgurat argentum, rutilum quoque fulgurat aurum,
Per mensae spatium crede salire merum.
Ordo puellaris fert quaeque ferenda puellis,
Haec pulchrae servit, pulchrior ipsa venit.
Gemmea pectoribus demissa monilia pendent,
Cingit nobilius aurea zona latus.
Plus decoris plus mellis habet variata voluptas,
Nam, cum delectant singula, cuncta placent.

[PLANETARUM REGNUM.]

Convivus citharista canit, quod sidera septem
Mundi sint hujus vis regitiva status.
Sol est principium vitalis, fonsque caloris;
Luna ministeriis hymnidicatis adest.
Saturnus retinere facit, Mars attrahit iras,
A Jove crementum, dat mihi velle Venus;
Mercurio tribuo quod cogito, sic duodenis

---

139. lapillis pro cod. capillis. 143. scholion marginis. Triteae ligna sunt super quae potabilia ad coenae usum posita. 147. Virg. Aen. I, 728
Crateras magnos statuunt, et vina coronant.
153. Virg. Aen. VII, 178
Aurea pectoribus demissa monilia pendent.
160. Maximian. V, 78: arma ministeriis quippe dicata suis nostri in mente fuisse videtur. 162. Virg. Aen. VII, 219.
Ab Jove principium.

In coelis manet his vis memorata locis.
Non idem cursus est omnibus, ille planeta
Velox, hic tardus, hic magis hoc vel eo.
Hic illi domus est, hic gloria, servitus illic
Semper erat, semper septimus hostis erit.
Sol solium solus elegit in aede leonis,
Est aries solis gloria, poena libra.
In cancro lunae videas habitacula, taurus
Altius extollit, scorpio pugnat eam.
Libra domus Veneris et taurus, piscibus autem
Regnat, sic queritur virgine virgo premi.
Virgine Mercurius laetatur et in geminorum
Imperat hospitio, piscibus exul erit.
Laetae suscipiunt aries et scorpio Martem,
Mars tibi cancer honor, sed capricornus onus!
Jupiter exultat in piscibus atque sagitta,
Cui cancer rex est, capra bubulcus, ait.
Saturni domus est et aquarius et capricornus
Servitus est aries, libra corona seni.
Post epulas agitur ut somnus membra salutet,
Reginae corpus aurea sponda fovet.

[PENTHESILEAE EXITUS IN PUGNAM.]

Postera Phoebea lux lustrat lampade terras;
Jam libet in bello conseruisse manus,
Stat sonipes ac frena ferox spumantia mordet,
Cujus pressura tergora virgo fuit.
Fit sonus ad bellum, quum tigride promtior arma
Bellandi studio Penthesilea subit.
Protegit egregia lorica membra triplice,
Ocrea ferrata candida crura tegit;

---

173. Confer. Marcell. Paling. p. 312 v. 27 (edit. Paris. 1580. 16). 175. Marcell. Paling. l. cit. p. 313, v. 1. Mercurius Geminis et pulchra Virgine gaudet.
185. Virgilii Aen. IV, 6. 187. Virg. Aen. IV, 135 Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit.
190. e margine pro fuit.

Non latum gladio latus imperterrita cingit,
Casside flammata munit et illa caput.
Exilit armata, probat armos et probat arma,
An fore concordes armus et arma velint.
Est ubi cuspis? ait, et eam manus effera pendit,
Sic salit in vastum virgo virilis equum;
Fulmineum clypeum lateri locat illa sinistro,
Calcat flammigeras tibia docta strepas.
Calcar equum pungit, ad sidera lancea surgit,
At portam validus praecipitatur equus.
Cornipes in phaleris, muliercula gaudet in armis,
Quadrupedum plantis ampla platea strepit;
Casside flammescit, phalera micat, ense coruscat;
Huic sunt saxa glomus, tela veruque colus.
Huic clypeus speculum fuerat, cassisque teristrum,
Scutum girgillum, lancea supplet acum.
Ensis ei fusum converterat, arcus alabrum;
Armillam pharetra, clava monile facit.
E porta volitans gerit alto corde leonem
Seque sequi turmam praecipit illa Phrygem.
Hanc acies sequitur imberbis, cum cute barbas
Radere Grajugenas, ense secare genas.
Spicula non specula miles considerat ista,
Docta magis collum quam spoliare colum.
Quae bene pugnabat, patriam bene noverat artem,
Mittere quae poterat tela, diserta fuit.

[PUGNA, IN QUA GRAECI FUGATI SUNT.]*)

Nec minus Atrides castris educit Achivos
Sollicitans pavidos munere, laude viros.
Obviat ergo viris, plus quam vir, virgo virilis
Vir studio, specie foemina, corde leo.
It coelo clamorque virûm clamorque tubarum,

---

202. Anon. Nevell. p. 517, lin. 17.
Gaudet equus phaleris.
209. Schol. al. haspel.
*) Schol. marginis: Pugna xxiii per aliquot dies.

Celant aethereum spicula densa rogum.
Quadrupedes fulvum mandunt sub dentibus aurum
Et verrunt pedibus impatienter humum,
Horrisonis vacuas implent hinnitibus auras;
Tanquam cornipedes bella sitire putes.
Vela levant, aquilas; cristat, quatit aura volantes,
Hic videas gryphes, hic volitare grues.
Se rapiunt acies, contundunt ensibus enses
Ilia percurrit lancea, mucro gulam.
Ex re num nomen habeat vel acuta securis,
A seco descendat, ossa trecenta secat.
At medias inter acies exultat Amazon,
Accipiter medias ut volat inter aves.
Dejicit hic Argos et sanguine compluit agros,
Ensibus obstructas ampliat ense vias.
Aspera duravit aliquantis pugna diebus.
Et plures morti sunt utrobique dati.
Penthesilea dies in pugna conficit omnes
Et demum Graecos in sua castra fugat.
Et nisi magnanimus Diomedes obvius isset,
Navibus et castris ultima luna foret.
Involvit mundum nox humida, pugna quiescit,
Pergama cum Phrygibus Penthesilea subit.

[PYRRHI DECLAMATIO.]*)

Ala puellaris mediis inprime diebus
Graecos in bella voce minisque vocat.
Graeca caterva silet, munit fossata, quiescit,
Donec tam Pyrrhe quam Menelae venis!
Rex ita mandavit. Veniunt. Pyrrhusque regendos
Myrmidones recipit nobiliterque regit.
Flebiliter patris arma levat visoque sepulcro

225. Virg. Aen. VII, 279. 226. verr. hum. ut Latini poetae verr. aequora. 229. Schol. Signa erant vexillorum. 236. Ov. Met. V, 606

Ut solet accipiter trepidas agitare columbas.

*) In margine: Amazones Graecis non resistentibus clamant.

Ejulat et lacrymis illius ossa rigat.
O pater, o patriae decus, o fortissime miles
O vice celebris, nobile sidus! ait;
O mel virtutis, o famae balsamus amplae,
Turris honestatis, strennuitatis apex;
O rosa militiae, probitatis tincta colore,
Et nunquam spina derosulata fugae,
Quo modo perdiderim te nescio, mortis iniquae
Fractum naufragio, te, miserande! gemo.
Omnia mors mordet, o mors tu nec speciei
Parcis nec generi, gratia nulla tibi.
Testudo miseris, tigris felicibus est mors,
Saepe vocata fugit, saepe fugata subit.
Dulce mori miseris, sed mors optata recedit;
Et, cum tristis erit, praecipitata venit.
Mors hominum felix quae se nec dulcibus annis
Inserit et moestis saepe vocata venit;
Mors haec infelix florentes abstulit annos
Ex improviso praecipitando duos.
Me miserum! non te sed me mors ista momordit,
Morsu consumsit, te mihi namque tulit.
Sum moestus, qui laetus eram; mordente dolore
Anxior ad mentis commoda raro levor.
Absque calore manus, jam mens est absque valore,
Jam mihi dixerunt omnia laeta vale!
Gutta cavat lapidem, consumitur annulus usu;
Et teritur pressa vomer aduncus humo.
Non ergo mirum, si mens mea tabida facta
De nive manantis more liquescit aquae.
Hoc solum recitare juvat, quod nulla potestas
Nullaque prosperitas esse morosa potest.
Hoc etiam didici, quod res fortuna secundas

---

267. 68. Maximiani Eleg. I, 115.
Dulce mori miseris, sed mors optata recedit,
At cum tristis erit, praecipitata venit.
279. 80. Ovidii ex Pont. IV, 10, 5. 6. 281. 82. Ovid. ex Pont. IV, 1, 67. 68
Nil igitur mirum, si mens etc.

Et bene foecundas imperat esse breves.
Effundant oculi lacrimas, exterminet ora
Pallor, concutiat interiora dolor,
Connodet digitos tortura, reverberet altum
Aera vox misera, tanta querendo mala!
Ista paris mihi damna Paris, Paris immo parasti
Fomes adulterii, turpis origo mali!
Nequitiae facula, cur te fuit illa secuta,
Peius adulterio turpis adulter obest.
Tu caput es belli, Troûm metus, Argolicorum
Fletus, utrorumque cladis amara lacus.
Et tua res ágitur, paries cum proximus ardet,
Te quoque mors stygiis, impie! mersit aquis.
Quam bene dispositum terris, ut, quum sit iniquus
Consilii fructus, imbuat auctor opus.
Ecce tuus luxus est Troibus, impie! luctus,
Et plausus planctus Argolicisque datus,
Et miser in miseras dejectus es ipse cavernas,
Quas misere miseris pro meretrice dabas.
O meretrix! spuma meretricum! nonne mereris
Spumeus ut pingat spumea facta stylus?
Posteritas fortasse leget, discetque docendo
A tam pestifera quemque cavere nota.
Est impossibile finiri fine beato,
Quae de principio sunt fabricata malo.
Ars tua magnanimum mundo tulit, Hecuba! patrem
Et simul illustrem flagitiosa virum.
Tune duos una saevissima vipera morti

---

287. margin. schol. exsudent. 292. turpis e margine pro iterato codicis fomes. 294. Ovidii Her. IV, 34. ex quo loco mutavimus nostri pejor in pejus. 297. Horat. Epist. I, 18, 84. 298. Imitatio Ovid. Trist. IV, 5, 22.

— — si non
Qui mersit Stygia, sublevet illud, aqua.

299. Claudian lib. 1. in Eutrop. XVIII, 157. 58

Quam bene dispositum terris, ut dignus iniqui
Fructus consilii primis auctoribus instet.

301. luxus pro cod. lurus. 305. margo: invehitur in Helenam. 311. margo: invehitur in Hecubam.

Fraudis adaptasti pollice? Tune duos?
O, qui militiam violasti perfide miles!
Perfidiae miles, militiaeque lues!
Fallere credentem non est operosa Quiritem
Gloria, simplicitas digna favore fuit.
Simplicitas, auriga doli, praetendit amorem
Intendit mortem; sic ego perdo patrem.
Ingreditur fanum nescitque latere profanum
Et plenum gladiis insidiisque locum.
Providus incautum configit apertus apertum,
Aequum vir nequam, noxius innoccuum.
Non impune tamen gladios movere dolosos,
Pars bona, non sentis ense luere dolos.
Ad superos sustollo manus et postulo: vindex
Dignetur tanti Jupiter esse mali;
Jupiter a nobis tam noxia crimina pellat,
Ut bona quis voveat frausque subintereat.
Jupiter in mores mihi det calcare paternos,
Ut valeam fieri patris imago mei;
Cuius militiam mundi per climata septem
Detulit et gesta fortia fama loquax.
Sola mori nescit eclipsis nescia virtus,
Corpore defuncto vivere facta solent.
Felicem! cuius resoluto corpore claris
Laudibus extulerit aurea fama dies.
Absque mora ruimus. Ruimus nunc? nonne videmus
Qmnia transire more labentis aquae?
Vivimus, ut nunquam sensu careamus amaro:

---

315. margo: invehitur in Paridem. 317. Ovid. Her. II, 63, ubi tamen pro Quiritem, puellam. 323. margo: armatus inermem. 335. 36. Gualth. Alex. VI, 335. 36.

Vivere per famam dabitur post fata sepultis,
Sola mori nescit eclipsis nescia virtus.

Conferantur ob sensum sequentes versus et VII, 356. 57.

Hoc solum solamen inest, quod gloria mortem
Nescit, et occasum non sentit fama superstes.

337. claris e margine pro clarus. 338. Scholion: pluralis numerus: dies. 340. Ov. Ars Amat. III, 62 eunt anni more fluentis aquae.

Post mortem sola fama superstes erit.
Interea tamen in hostes nos grande furenti
Cogit vibrare dedecus arma manu.
Dixerat et sepelit singultus verba loquentis,
Humida reddiderat lacrima busta patris.
Tandem post longa suspiria miles ocellis
Purpureo transit gausape; castra subit.

[PENTHESILEA ARGOS AD PROELIUM PROVOCAT.]

Ultima lux gelidas coelo dimoverat umbras,
Pallida jam turbant sidera solis equi;
Evolat audacter quasi virtus Martis et Argos
Provocat assuetis Penthesilea modis.
Cujus Amazonica sequitur vestigia turma
Cum domina belli pondera prona pati.
Gaudent foeminea lunatis agmina peltis,
In cursu validi delitiantur equi;
Gaudent praeterea clava pugnare trinodi,
Non gaudent turpi se maculare fuga.
More locustarum videas erumpere Troes,
Et quasi dormierint, hactenus esse leves.
Inclamant Danaos; quid bella negatis inertes,
Vestras intrate repariando rates!
Sed prius in vestra scribemus dorsa: valete!
Telorum figet mollia colla stilus.
Aut dormitatis aut luditis, aut nimis estis
Attriti bellis, sic quia dorsa datis?
Ac manus interea castris Trojana propinquat,
In campum Danaos garrula voce vocat.

---

342. cfr. loc. Gualteri ad 335. 36. memoratum. 346. Cod. reddiderant. 349. schol. gaus. manutergio. 355. margo: Amazones ferebant peltas in modum lunae curvatas. 356. delit. schol. margin. delectantur. 357. cod. trinoda. Gualter. Alex. V, 46.

Fuderat ergo viros clava ter quinque trinodi.

360. cod. hastenus.

[PYRRHUS IRRUIT IN TROES.]

Pyrrhus Aehilleides, animosus imagine patris,
His dolet Argolicis subjacuisse probris.
Impiger arma rapit, medios ruiturus in hostes
Invadit Teucros, ense bipartit eos.
Sic ferus accipiter ungues exasperat uncos,
Quum columbarum cogitat esse gregem.
Hic volat, hic revolat, rapit hanc, eviscerat illam
Et plumis mixto sanguine pingit humum.
Haud secus in Phrygibus Pyrrhi se dextera fingit,
Dum nece multiplici sanguinolentat agros.
Educit Danaos Agamemnon et instruit omnes,
Imperat ut veniant; fit fragor, arma sonant.
Tollitur ad coelum clamor, vox sidera pulsat,
Ad nubes nebula pulverulenta volat;
Clangunt et litui, clamoribus echo reclamat;
Est, veluti totus mundus in arma ruat,
Est, quasi rumpatur tellus, hinnitus equorum;
Spicula dum volitant, est, quasi silva cadat.
Ex armis scintilla micat, velut igne corusco;
Horrendo quatitur auris et aura sono.
Non ferrugineus sed ferreus ingruit imber
Telorum multa nube tegendo polum.
Concurrunt, in fata ruunt, glomerantur in unum,
Nec requies aliquo scit latitare loco.
Hic rabies, moeror, fremitus, violentia, livor,
Lis, odium, fervor, impetus, ira, furor.
Pars gladios stringunt manibus, pars spicula mittunt,
In ferrum turba, sit quasi caeca, ruunt.
Infrenant isti currus, pars altera saltu
Praecipiti validis injiciuntur equis,
Insultans sonipes toto fremit aequore frenum

---

373. margo: comparationem facit. 374. margo: comedere. 384. Ov. Fast. VI, 598
— attonitum vulgus ad arma ruit.
396. in ferr. ruunt. Virg. Georg. II, 503. 399. glosa marginis: planitie campi.

Huc obversus et huc ire per ora dolet;
Splendescit campus armis sublimibus, alto
Hastarum nemore ferreus horret ager.

[FUROR PENTHESILEAE ET AMAZONUM.]

Quadrupedem validum ferrata calce fatigat
Vecta per hostiles Penthesilea choros.
Denique consueti non est oblita tenoris,
Denudat gladium, caede colorat agrum;
Cui levis a laevo dependet parma lacerto,
A tergo decorat aureus arcus heram.
Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem,
Nunc mittit laeva spicula multa manu,
Quae tamen interdum, si telis pulsa recedunt,
Arcu converso mox revolare facit;
Et quot missa manu contorsit spicula virgo,
Ad terram jacti tot cecidere viri.
Aspera pugna trahit alto se sole, virum vir
Impetit et vim vis cedere caede facit.
Nec tantum fuit in isto vir virque duello,
Impetitur quia vir virgine, virgo viro.
Passive, non lascive: non sicut amantes
Se, sed ut amentes composuere truces.
Ocrea ferrata micat hic, non oscula miscent,
Non thorus sed thorax, non procus immo procax;
Procubitus, non concubitus satiantur amore,
Vir jugulare suam non violare studet.
Ferrea ferratis constringunt colla lacertis,
Clamor in amplexu, nullus habetur amor;
Non isti capitum dant oscula sed capulorum,
Basia dant dolabris jurgia dando labris;
Non jungunt mentes, pungunt hic oscula dentes,
Non reor haec vera sed magis esse fera.

404. margo: chorus non pertinet ad cantum modo sed etiam ad bellum. 407. Virg. Aen. XI, 693
— — et laevo dependet parma lacerto.
411. cod. recedit.

Rictus non risus hic unus, nullaque virtus;
Hic sua jura calix non habet, immo chalybs.
Trajicitur telis his caedis corpus acutis
Possent hac caede taedia magna dare.
Conjugium tandem mors ejus filia finit,
Atria Cocyti spiritus atra subit.
Hic per sanguinea connubia foedera foeda,
Plena cadaveribus omnia cerne loca.
Lancea per pectus, per colla, per ilia currit,
Mortem praecurrit, protinus illa subit.
Sanguineos vomit ille globos, cadit alter et ipsam
Squalidus a proprio sanguine mordet humum.
Hic valida currente per arma, per ossa securi,
Labitur in partes una figura duas.
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
Non istis sternunt strataque confodiunt.
Hic digitos tenet ad oculum quaeritque foramen,
Scindit ei medio tempore mucro manum.
In frontem morientis adhuc rigido pede calcat
Absque mora veniens, ut moriatur, equus.
Ille strepa fugientis equi per devia pendens
Albat sanguineos excerebratus agros.
Hic caret occipite, caret hic pede, cruribus ille,
Mortuus hic pulsat, hic moriturus hiat.
Vectores vectique simul per membra vehuntur,
Mortua tota jacent funera strata via.
Vulnera quis numeret, quis funera, quisve dolores;
Mortis tot species scribere nemo potest.
Compluit immensa cataclysmus sanguinis arva
Gurgitis instar habet fusus utrinque cruor.
Agmen virgineum totum perfuderat agrum
Sanguine tam patiens, quam flagra mortis agens.

---

436. Cod. cochici. 455. Gualth. Alex. V, 161. 62
— — — genibus cecidere remissis
Vectores vectique simul.

[PYRRHUS ADHORTATUR GRAECOS.]

Porro foemineis illatos viribus Argi
Insultus belli vix potuere pati;
Retrorsum vertere gradum, jam jamque parabant
Vitae praesidia ponere, terga dare.
Quo ruitis, pilata cohors? inclamitat altis
Vocibus hos Pyrrhus; est fuga grande scelus.
O miles qui militia gladioque resultas
Militiae titulum, quid fugiendo fugas!
O famuli turpes! servum pecus, absque cruore
Fortes, debilibus turpia terga datis?
Immensum socii scelus est fuga, crimine quovis
Credere debetis turpius esse fugam?
Buccina cur signum dat bello rauca cruentum,
Si volumus visis ensibus ire domum?
Foetidus est fugiens, vitiosus, turpis et exlex,
Militiae consors amplius esse nequit.
Militis a tabula te ne dum principis, o qui
Fugeris in bello, mandat abire fuga?
Si filum neret hodie tibi Clotho supremum,
Aptius a pugna quam rapiere fuga?
Ad pelagus cum veneritis quid postea? vasto
Ibitis ante dies vos sepelire freto.
Fidite ne pedibus, ferro rumpenda per hostes
Est via, sit quamvis densus ubique globus.
Deest jam terra fugae, pelagus patriamve petemus,
Magno nos claudit obice grande salum.
Vertite cornipedes, faciesque ferantur in hostes,
Enses erigite, vulnera larga date.
Jam fugient, qui forte fugant, victoria nostra

---

467. Virg. Aen. XII, 312. 13
— — atque suos clamore vocabat,
Quo ruitis?
Gualt. Alex. II, 381 sq.
Quo ruitis peritura manus? juvenemne putatis
Invictum fugere hunc, qui quovis crimine credit
Turpius esse fugam.
488. Schol. sal. mare.

Est, sueto modicam more movete manum.
State, redite, gradum convertite, state, cavete
Ridiculum famae. Pessima fama fugae.
Nec mora sit, cito dispersas densate catervas,
Et quasi grex onus Martis agatis opus.
Dixit et adversos telum contorsit in hostes
Restituitque suo perdita corda loco.
De timidis tumidi fiunt hortamine Pyrrhi,
De pavidis avida pectora dantur ita.
Qui fuerant timidi, redeunt, et corde tumenti
Quique pavent, gladius ut repetatur, avent.
Conflictus renovatur item, fit pugna repente
Maxima, consurgit lancea strage nova.
Pyrrhus ibi devectus et hic hortando reversos
Consolidat cuneos, nomine quemque vocans.
Irreprehensibilem se miles ad omnia reddit
Se sub militiae flore decenter habens.
Se Phrygias jacit in acies et sanguine bracat,
Nec manus illius a feriendo vacat.
In Teucris rubeum violenter balneat ensem,
Balnea de stygio dic ea lata lacu.
Hostes commactant pariter se, nec cruor arva
Inficit infusus plena cruore prius,
Nec campus rubeo rubescit sanguine, sanguis
Sanguinis a rivo stat potiore vado.
Quantus equis quantusque viris de pulvere crasso
Sudor erat, nemo, qui reticere queat.
Pulveris ascensus sepelitur sanguinis imbre,
In rubeos latices vertitur herba virens.
Pulvere non fluitant, mucronibus arva coruscant.
Unde fit ut multa millia strata cadant.
Tot mortes poterant stygias implesse paludes,
Maxima, dux Erebum! ni tua regna forent.
Vix fuit hoc numero distinguere, quis vel in istum
Aut hunc pro meritis debeat ire lacum,

501. Cod. tumidi. 509. Cod. brarat. 513. Cod. hostes hostes c. p. s. 524. Schol. Pluto. 525. Cod. istam. 526. Cod. hanc.

Diceris, hospitia Stygis ut faceres magis ampla,
Olim primigerum tu subiisse focum.

[PENTHESILEA ALLOQUITUR PYRRHUM.]

Transierat medium rota solis flammea mundum,
Pugnans stabat adhuc fervida flamma virum.
Innumerabiliter Danaosque Phrygesque ruisse
Pondere bellorum Penthesilea videt,
Et quia virgineus exercitus arma valenter
Veheret, in Pyrrhum talia verba jacit:
In campis agitare ferus te Pyrrhe! putasti,
Hic quasi musca levi sit capienda manu.
Non puer hic lepores venaberis, immo leones;
Est lepus illa vel haec foemina? nonne leo?
Foemina credideris. Occurret foemina Pyrrho?
Non sed vir; mulier induit illa virum.
Et vi virtutis erit illa vir et quasi vi vir,
Vir quoque non vilis, immo virilis erit.
Foemina sive vir es? hic si vir es, exere vires
Haec erit in vi res; robore nonne vires?
Non tu foemineas imbelles, immo rebelles
Invenies et non absque vigore manus.
Scis, quod non debet pelago se credere, si qua
Audet in exiguo ludere cimba lacu.
Si me respicies, fortes invadere fortis
Forsitan exemplis instruerere meis.
Ignavos agitas, in me converte, valoris
Si quid habes, et quid sint fera bella scies.
De pretio victi pendet victoria; victor
Tantus erit, victi gloria quanta fuit.
Me pete, teve petam! Sic fatur et ecce potenter
Agreditur Pyrrhum, tangit et angit eum.

---

528. Schol. foc. mundum. 543. Margo. vir es? Pyrrhe! 547. 48. Ovid. Trist. II, 329. 30. 553. 54. Anonym. Nevel. p. 499 lin. 2 ab infra.

[PYRRHUS INTERFICIT PENTHESILEAM.]

Tactus honestate Pyrrhus referire moratur,
Vix mora praeteriit, illa secundo ferit.
Mox Pyrrho cadit in animum, qui prorogat hosti
Vitam quod mortem corrogat ille sibi,
Et subito gladium vibrando Penthesileae
Conatur nitidam scindere tiro gulam.
Illa perita satis clypeo diffibulat ictum
Et circumducto sauciat ense virum.
Excitat interdum vires dolor, ille recepto
Vulnere vindictae tela referre studet.
Vulneris oblitus aptat se firmius armis,
Corpore composito fortius haeret equo.
Fertur in armatam bene se defendere gnaram,
Illa quidem Martis omne sciebat opus.
Mixtim se feriunt, hic laedit et illa relidit;
Non haec pugna levis, non erat hora brevis.
Dicere de pulchro poterit tibi nemo duello,
Si spectator in hoc non stetit ipse loco.
Ancipites gladios non sorte sed arte movebant,
Ictus non casu sed ratione dabant.
In galeis gladiisque jubar solare refulget,
Unus in alterius mucro mucrone micat.
Illa lacessita coepit lacessere tandem,
Ut posset lassas vix relevare manus:
Cui ferro summum mox scindit tiro galerum,
Haec ruit et roseo vertice vertit humum.
Palpitat haec moriens, manat cum sanguine sudor,
Virgineus late purpurat arva cruor.
Per campos agitare feras et prendere muscas
Clamasti magno nos, ait ille, sono;
In qua tuas acies cantabas esse leones,
Non lepores; ubi sunt? tu quasi sola jaces.

---

559. 60. Anonym. Nevelit. p. 524 lin. 11. 12 ab infra
Unde perire queas, hostem munire cavebis,
Qui dat quo pereat, quem juvat hoste perit.
564. Cod. saucia. 565. Ov. Her. VI, 140 dat arma dolor.

Foemineas vires ego sensi, tuque viriles;
Nonne liquet, quod sis foemina tu, vir ego?
Credo, dies hodierna probabit utrum mulieres
Sint haec pensorum turbula, sive mares.
Tiro sit miles, mulier sit foemina, vir mas,
Illa vir aut mulier ille? referre nefas.
In pelago mea cimba fuit, tamen integra mansit;
Fluctibus in mediis est tua fracta ratis.
Sis hujus virtute manus edocta, puellis
Quod non sit tutum bella movere viris.
Imbelles estis, ubi sunt quas esse rebelles
Est tua per multas lingua locuta vices?
Portasti gladium non fusum, plus quia fuso
Fers gladium, gladio vindice fusa jaces.
Tu quia funebribus es non muliebribus usa,
Funebre fers pondus, non muliebre decus.
Hac vice si specula non spicula virgo tulisses,
Telam non tela vivida forte feres.
Haec; et adhuc gladium reginae sanguine crudum
Quadrupedem stimulans mittit in ossa Phrygum.
Taenariae limen petit irremeabile portae
Haec, vitae claudens sic monimenta suae.

[TROJANI FUGIUNT IN URBEM.]

Panditur immenso deformis sanguine campus,
Hic jacet occisus Dardanus, hic Danaus.
Postquam reginae viderunt funera Teucri,
Protinus est illis ancora rupta spei.
Complosis manibus campos ululatibus implent,
Labitur in moestas lacrima larga genas.
Nec modus est lacrimis, rorant, clypeique jubaeque,
Thorax a lacrima sicut ab imbre madent.

---

597. Cod. puellas. 606. cod. fores. 607. schol. Haec. supl. ait. 609. est Statii Theb. I, 96. 611. Statii Theb. X, 5 est, ex quo loco pro nostri immensus posuimus immenso. 615. cod. campis. 617. Statii Theb. IV, 18.

Dant gemitus, fractaeque labant ululatibus irae,
Opprimit in madido gutture verba dolor;
Non sperant, quod possit eis impendere vitam
Alea jam manuum sed magis ala pedum.
Praecipites fugiunt et siccos pulvere longo
Campos attollunt, non tamen effugiunt.
Denique Pyrrhus eis cum Graecis fortiter instat
Et fugitiva fero dorsa mucrone secat.
Turpiter ex campo Teucris in tecta fugatis
Cingit continuo Pergama Graecus homo;
Non audent prodire suis aliquomodo portis
Sed frigere vides spe fluitante Phryges.

[PRIAMUS CONVOCAT POPULUM.]

Jam virtus Trojana cadit, jam figit ab intus
Cor Priami regis anxietatis acus.
Obsessam metuit tradi plebs hostibus urbem
Aut rigidi ferri forsan in ore capi.
Funditus everti valet urbs; hoc pectore versant,
Et poterunt Graeci subdere cuncta neci.
Se Priami dedit ante fores Antenor, eique
Est Anchisiades Polydamasque comes.
Rex sedet et tristis belli de pondere pensat,
Pensat quem finem bellica spatha petat.
Ingressos Priamus majorum more salutat,
Semper homo potior debet avere prior.
Est, aiunt, minime tibi, rex! recitare necesse,
Annis bis quinis quae mala Troja tulit.
Viderunt Troes, vidisti, vidimus omnes,
Quot passi simus vulnera, damna, neces.
Obsidet et claudit nostras manus hostica portas,
Libertate, nec est, qui moderetur eas.
Tam ne quis est audax, ut limine cogat abire

619. Statii Theb. IV, 23, ubi pro ululatibus, singultibus legitur. 624. Virgil. Aen. XI, 672
Praecipites pariterque ruunt.
630. schol. ab ardore pugnandi. 640. sp. ensis. 642. schol. ave dicere. 644. Cod. bis binis.

Jactantem Graeca noxia tela manu.
Intrepidi nostros circumdant undique muros
Absque pavore jacent, Teucra nec arma timent.
Si tibi consilii placet enucleatio nostri,
Coram te populum percipe stare tuum;
A tota plebe quae sint facienda require,
Saepe solent minimi prosperiora loqui.
Troja potens, Helene! si te foret usa magistra,
Starent in proprio millia strata loco:
Consilium, Cassandra! tuum si quando notasset
Liber et insignis viveret ipse Paris.
Quaeque superjectis premitur plebecula glebis,
Excoleret patrios foenore frugis agros;
Ergo venire jube socias hoc Marte cohortes;
Quicquid mente tenes, his aperire potes,
Consilii fortasse tui mysteria quasdam
Invenient habiles ad meliora vias.
Ille, vocemus, ait; veniant cum milite plebes.
Vix verbum finit, Troja vocata venit.

[ALLOCUTIO PRIAMI.]

Consedere duces, et vulgi stante corona,
Rex circumpositis ora resolvit ita:
O proceres! o participes cujusque laboris!
O plebs! o tantis insuperata malis!
Vos annis animisque pares, vos robore grandes
A vestro noster nomine pendet honos.
Vos scitis, vultis, debetis et ecce potestis
Dedecus aufferre, ferre mucrone decus.

---

652. e margine pro: pudore. 656. Caecil. apd. Cicer. Tuscul. III, 23.

Saepe est etiam sub pallio sordido sapientia.

Caton. Distich. II, 9

Corporis exigui vires contemnere noli:
Consilio pollet, cui vim natura negavit.

657. 58. Ov. Ars III, 439. 40

Vix mihi credetis, sed credite, Troja maneret,
Praeceptis Priami si foret usa sui.

Quod scitis longa facit assuefactio, vultis,
Hoc firmi cordis imperiosa fides;
Propter militiam debetis, robore tincta
Virtus, quod gerere bella potestis, agit.
Si scio, sique volo, si debeo, debeo vero
Sum quia rex, modica vis mihi posse negat.
Singula de nobis anni praedantur euntes
Jam Lachesis nostra rumpere fila volet.
Injicit ecce manum formae damnosa senectus,
Quae strepitus passu non faciente venit,
Jam mea cygneas imitantur tempora plumas,
Inficit et nigras alba senecta comas,
Jam subeunt anni fragiles, et inertior aetas;
Jamque parum firmo me mihi ferre grave.
Omnia fert aetas, animum quoque; sic ego longos
Viribus exhaustis perdo vacando dies.
Non sum, qui fueram, periit pars maxima nostri,
Curriculo gravis est facta ruina meo.
Contudit ingenium patientia longa malorum,
Et pars antiqui nulla vigoris adest,
Vertitur in cariem facies, rimisque dehiscit,
Si qua diu solitis cimba natavit aquis.
Plus quam posse meum possit, me posse putatis,
Sed sum, quam vobis, notior ipse mihi.

---

677. schol. quid vultis. 678. schol. facit. 685. 86. Ovid. Trist. III, 7, 35. 36.
Injicietque manum formae damnosa senectus,
Quae strepitum passu non faciente venit.
687—90. Ovid. Trist. IV, 8, 1—4, ubi tamen vers. 4 desinit in: grave est. 691. 92. Virg. Ecl. IX, 52. 53
Omnia fert aetas, animum quoque, saepe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles.
693. (Maximian.) I, 5. 694. Ovid. Trist. IV, 8, 36. 695. 696. Ovid. Trist. V, 12, 31. 32
Contudit ingenium patientia longa laborum:
Et pars antiqui magna vigoris abest.
697. 98. Ovid. Trist. V, 12, 27. 28
Vertitur in teneram cariem, rimisque dehiscit,
Si qua diu solitis cymba vacarit aquis.

Qui fueram pardus, sum tardus euntibus annis
In praeceps raptim more fluentis aquae.
Miles ut emeritus non est satis utilis armis,
Ponit ad antiquos, quae tulit arma, lares.
Sed licet haec nostram fundent et plura querelam,
Nolo tamen vestras inde labare manus.
Re si non, opere volo vos operaque juvare
Et si non per opem, vel per opus, per opes;
Et si non armos, vobis impartiat arma
Auxilium dando consiliumque frequens.
Non modo sed semper hoc regna juvamine rexi,
Est aliquid valida sceptra tenere manu.
Solus rex regnat, honor autem regna regentis
Est in subjectis militibusque bonis.
Non miles sine rege valet, nec rex sine fido
Milite, militia plurima regis honor.
Non satis una tenet ceratas ancora puppes,
Non satis est liquidis unicus uncus aquis.
Sic unum regnum rebus vult stare duabus
Sic res alterius altera poscit opem;
Nemo sibi satis est, eget omnis amicus amico;
Vaeh! soli; cadit hic, nemo levator erit.
In vobis igitur Troiae victoria pendet,
Et pacem patriae brachia vestra dabunt.
De rerum tractate statu vestraque salute,
Sensus enim vobis consiliumque viget.
Vertite praeteritas praesentes resque futuras,
Quosque sequi potius expedit ire vias,
Nam per praeterita praesentia saepe labuntur,
Saepe status praesens scire futura facit.
Hoc scio si volumus superare, levanda potenti

---

702. Ov. Ars Am. III, 62
— eunt anni more fluentis aquae.
703. 4. Ovid. Trist. IV, 8, 21. 22. pro nostri emeritus cfr. v. 799 habet Ovidius emeritis. 712. Ovid. Rem. 480. 717. 18. Ovid. Remed. 447. 48, ex quo loco posuimus ceratas pro codicis seratas et marginis laevatas. Pro uncus Ovidius hamus praebet. 721. Neveleti. p. 525 lin. 2 ab infra.

Brachia sunt animo, sic leo fiet homo.
Sunt ea quae doceo, fortunae cetera mando,
Hinc quid mente, ferat quilibet ore, sciat.

[ANTENORIS ORATIO.]

Dixit et obticuit, videas mussare cohortem;
Haerent, quis primum reddat ad ista sonum.
Cumque taceretur, hac voce silentia rupit
Antenor, natu nam fuit ille prior:
Nemo miretur o rex! angustia mentem
Si terit et tenebrat irrequieta tuam.
Fortunae saepe rota nos involvit arenae,
Quoque feramur, adhuc alea grandis inest.
Sensi, sensisti, sensit provincia tota:
Troibus horrenda multiplicata mala.
Moesto corde loquor: Quod inexpugnabilis Hector,
Deiphobus, Troilus corruit atque Paris:
Se duplat mi dolor quod et in virtute per omnes
Terrarum fines non habuere pares.
Semper crudeles adversum fortiter hostes
Arma levaverunt, occubuere tamen.
Casus praeteriti praesentis itemque futuri
Temporis intuiti res recitando sumus;
Sed fuit occlusus nostrae rationis ocellus,
Nec bene praeludit fata futura locus.
Quando Tyndaridem Menelai Troja recepit,
Heu quantum Phrygii sanguinis illa tulit.
Arva cadaveribus sunt plena, sepulcra sepultis,
Undique terra rubet sanguine picta Phrygum.
Quodque loqui minime sine luctu possumus, illa
Unica spes belli, Penthesilea fuit,
Et cum regina lunatum corruit agmen,

---

735 sq. Cfr. Gualt. Alex. IV, 110 sq.
— — ambiguum videas mussare senatum,
Et siluisse diu perhibetur curia, donec
Parmenio etc.
753. Cod. S. f. clausus rationis ocellus. 757. cod. arma.
760. margo praebet ruit.

Parte fere media re tribulamur ea.
Pone quid ingenio vigamus consilioque,
Pluribus occurret quomodo pauca manus?
Non habet unde suum paupertas pascat amorem,
Bella brevis numerus non habet unde gerat.
Hinc si prodierit illustris miles in Argos
Quot qui praecedent, quive sequentur, erunt?
Tum bene fortis equus reserato carcere currit;
Quum quos praetereat, quosque sequatur, habet.
Audaces fit per acies audacior audax,
Sarcina reddit onus praecipitata minus.
Pendet in his patriae pax et victoria Trojae,
Quos tulit in portas pes fugitivus heri.
En quod in audaces non est audacia tuta
Sensimus, ob belli, quod toleramus, onus.
Quis mentes revocabit item gladiumque levabit
Hostibus in jugulum vile piare probrum?
Egregium corpus est regni tuque tuique;
Nobile tu caput es, inclita membra tui.
Sed numero longo lato gaudemus et alto,
Tamquam victores compotus ille creet.
Te numerosa phalanx circumstat, et ecce videmus
In porta Danaos, nemo repellit eos.
Nos numerus sumus, et fruges consumere nati,
Non qui defendant limen ab hoste viri.
Non tibi sed nobis incumbit crimen id, o rex!
Effecit tremulum cor fuga nostra tuum.
Consiliis es auxiliis laudandus et armis,
Stabat sub gladio patria tuta tuo.

---

765. Ovid. Rem. 748. 769. 70. Ovid. Rem. 595, ex quo loco pro nostri tunc, dum, posuimus tum, quum. 772. (Maximianus) Eleg. V, 70

Intermissa minus sarcina pondus habet

et Sanct. carm. bucol.

Et divisa minus sarcina fit gravis.

775. Ov. Met. X, 544

— — in audaces non est audacia tuta.

678. schol. fugae nostrae scilicet. 785. Horat. Epist. I, 2, 27.

Arma dabas semper, armos cum floruit aetas,
Tunc robustus eras corpore, mente modo.
Semper dedecuit, o rex! te dedecus omne
Et decuit quicquid debuit esse decus.
Non armos a te tua turba, sed arma requirit,
Non opus est, ut opus est, et opus et opem.
Tempore militiae quasi pardus in arma volasti,
Nunc tardus, dedit hoc annua meta tibi.
Militis emeriti, dux optime! more mucronem
Te decet ad patrium deposuisse larem.
Posse tuum scimus, nec plus te posse putamus;
Quod natura negat, reddere nemo potest.
Multa senem circumveniunt incommoda, debet
Vir bonus et prudens commodus esse seni.
Mentis inhumanae vel non homo creditur esse,
Infert qui senibus non pietatis opus.
Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.
Sic et adhuc, unquam nisi forte quis impius illud
Solvat decorum cor tribulando senum.
Cuncta trahit secum vincitque volubile tempus
Nec patitur certa currere quaeque via.
Te quoque rex traxit, at quamvis traxerit aetas,
In nullum duxit tempus anile nefas.
Irreprehensibilis es rex, tu lividus aevo
Vividus ingenio nosceris esse bono.
Exarat in sulcos faciem matura senectus,
Sed renovat pectus omnis honoris opus.

---

796. schol. marg. sc. conferre. 802. (Maximinianus) Eleg. V, 54. 803. Horat. Ars poet. 169. 805. cfr. Juv. Satir. XIII, 54

Credebant hoc grande nefas et more piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat.

807. 8. est Ovid. Fast. V, 57. 58. 811. 12. Corn. Gall. (Maximian.) Eleg. I, 109. 110, ubi tamen pro „vincit" vertit invenitur. 817. Alan. Anticl. lib. VI. (p. 93) lin. 6 ab infra

Nec tamen illius faciem matura senectus
Exarat in sulcos — —

Te decet, o Priame! pro foedere mentis acumen,
Possis hostiles ut removere pedes.
Si scimus, velle debemus, forte valemus
Consilium super hac re reperire ratum.
Si scirem, vellem, quod debeo commoda ferre
Civibus et mortis hostibus omne genus.
Non possum neque tu potes, o rex! sed neque Troja
Nec collecta simul patria tota potest.
Quod non possimus, praesens probat impetus hostis,
Qui campos, muros occupat atque fores:
Occupat et Trojam, violentis ausibus arctat,
Quos ut compulset, brachia nemo levat.
Hoc scio, quod rapuit Helenam Paris, esse lutosum;
Crimen legitimos est violare thoros.
Amplior accessit amicitia, quod venientem
Et Paridis sponsam Troja recepit eam;
Maxima, quod gladiis illam defendimus, annos
Mortibus et bellis continuando decem.
Omnia Trojana perfudimus arva cruore,
Sudat terra Phrygum luxuriosa nece;
Omnes perdidimus, habuit quos patria fortes;
Qui nos praecedet, nemo superstes erit.
Argolicis est robur adhuc et bellica virtus,
Illustres gnari proelia ferre viri.
Est Agamemnon ibi, Menelaus robore fortis,
Ajax, Aeacides Pyrrhus et ipse Thoas;
Nestor qui vate prudentior est, et Ulixes,
Cuius calliditas scit terebrare petras;
Et proles, quibus est famosa peritia belli
Nondum distincti, reperiuntur ibi;
Et scio, si contra tales accingo mucronem,
Saxa meum refero rursus ad icta pedem.
Scilicet ut victus repetit gladiator arenam
Et redit in tumidas naufraga puppis aquas.

---

832. Pamphil. XXX, 4. 850—52. Ovid. Trist. II, 16—18, ubi tamen pro nostri „meum“ et „ut“ leguntur „malum“ et „et“.

Cum coepit quassata domus procumbere, partes
In proclinatas omne recumbit onus.
Sic, postquam nostra subierunt arva Pelasgi,
Troja modo vicit et modo victa fuit;
Nunc autem concussa cadit, quum Graecia victrix
Opprimit et belli pondera sola gerit;
Et quia succubuit, tanta vi pressa reclinat
In nos tortura sarcina Graja gravi.
Corruimus plene, non paene. Probatio. Quis nos
Degeneri nescit hic latitare fuga?
Speramus fieri victores: quis prohibebit?
Spes reficit, dominum fallit et ipsa suum.
Quod sumus, est liquidum, decepti saepius hac spe,
Sic dominum sterilis saepe fefellit ager.
Spes est in dubiis semper comes optima rebus,
Sed caret optato non semel illa lucro.
Non faciam de clave seram, reserabo patenter
Omnia quae teneo pectore clausa meo.
Funditus occidimus, nec habet fortuna regressum,
Non habet in nobis jam nova plaga locum.
Oremus pacem, dextras tendamus inertes,
Ut vertant hostes ad sua rura pedes.
Raptam reddamus Helenam redeatque rapina,
Esse solent magno damna minora bono,
Et Phrygibus Phrygia sit tellus, Graecia Graecis,
Bella relegentur omnia pace data.
Ancora consilii subeat cito littora cuncta,
Ne lassata ratis concutiatur aquis.
Sero respicitur tellus, ubi fune soluto
Currit in immensum panda carina salum.
Incumbunt muris velut undosum mare Graeci,

---

853. 54. Ovid. Trist. II, 83. 84, ubi tamen pro „procumbere“ „subsidere“ legitur. 863. schol. nempe: sperare liceat. 864. Pamphil. I, 16. 866. Ovid. Ars amat. I, 450. 872. Ov. ex Pont. II, 7, 42, „vix“ habet. 876. Ov. Remed. 672. 881. 82. Ovid. Amor. II, 11, 23. 24. Nostri „conspicitur“ et „fine“ ex Ovidio emendavimus.

Quorum bella mihi sunt velut ira nothi.
Rex sepeli bellum, pete pacem, redde quietem,
Pauset ut, est tempus, fessa labore manus.
Qui grave portat onus fit toto corpore pronus,
Et quia fit pronus, saepe reponit onus.
Pax risus mentis, pax est pincerna salutis,
Q quam difficiles sunt sine pace dies!
Pace Ceres gaudet, et vos, optate, coloni
Perpetuam pacem pacificumque ducem.
Pacem tiro roget tironi, sicut agrorum
Aeque cultori pacis oliva valet.

[POPULI SENTENTIA.]

Nondum finierat: pax! pax! communio clamat,
O rex! pax fiat, bellica causa cadat.
Quid prodest, fructu non respondente labori,
Subdere perpetuae corpora lenta neci?
Ardua sollicitis victoria quaeritur armis,
Non sumus in nostris hic latitando locis.
Pergama clausa pavent tironibus obsita Graecis,
Ut lapis aequoreis undique pulsus aquis.
Proximus a tectis aegre defenditur ignis,
Saepius avulsus ingruit ille magis.
Miscuimus multos teterrima bella per annos,
Et nunc Argolici, nunc cecidere tui.
Inter nos omnes est turbula parva superstes
Et vix, qui superest, arma levare potest.
Graecia pugnat adhuc tardis apud Ilion armis,
Nec mens diffindens nec manus instat eis;
Nam lassata, nimis nondum lassata, recessit,
Plebem, quae latitat, ad nova bella citat.

---

884. schol. venti. 885. cod. sepel. 891. Allusiones Ovidianae ut Fast. I, 695. 704. 899. imitatio Lucan. Phars. V. 273. — — finis quis quaeritur armis?
903. Ovidii Rem. 625.
Proximus a tectis ignis defenditur aegre.
908. cod. quis. 911. n. l. n. n. l. sauciata rec.

Rex populos accito novos et contere gentes,
Ut tuus et patriae perpetuatur honos:
Fortior in fulva novus est gladiator arena,
Quam cui sunt tanta brachia fessa mora.
Integer est melior nitidis gladiator in armis,
Quam cui tela suo sanguine tincta rubent.
Deficiunt validi longaevo tempore tauri
Et quondam turpis fit modo pulcher equus.
Nos quoque deficimus longi luctamine belli,
Quis sine fine potest tot mala tamque pati?
Unde pati pacem petimus, bellumque repelli,
Sudarunt bellis brachia nostra satis.
Tutius est, aptumque magis, discedere pace,
Quam semper bella litigiosa sequi.
Omnes vincit opes securam ducere vitam,
Deterius nihil est, quam miser usus opum.
Scilicet ingeniant totum consumere regnum,
Et nos et claras Laomedontis opes.
O rex! o Priame! pax detur paxque rogetur!
Alterius non sit, qui suus esse potest.

[INSTIMULATIO AMPHIMACHI.]

Amphimachus stomachatur ad haec, erat hic adolescens
Et fortis Priami filius, ista loquens.

915—918. Ovid. Trist. IV, 6, 31—34
Fortior in fulva novus est luctator arena,
Quam cui sunt tarda brachia fessa mora.
Integer est nitidis melior gladiator in armis,
Quam cui tela suo sanguine tincta rubent.
919. 20. (Maximian.) Eleg. I, 269. 70.
Deficiunt validi longaevo tempore tauri:
Et, quondam pulcher, fit modo turpis equus.
925. Ovid. Remed. 669. 926. imitatio Ov. Rem. 670.
Quam petere a thalamis litigiosa fora.
927. 28. Anon. Nevel. p. 595 lin. 15. 16 hos versus habet, tamen sonat secundus
Pauperius nihil est quam malus usus opum.
932. Anon. Nevel. p. 502. lin. ultim. 933. cfr. Gualt. Alex. IV, 131. Consulis arbitrium tulit aegre Magnus etc.

Audi, rex fortis! oro: non ore diserto,
At tamen est animus edere pauca mihi.
Non bonus est civis, qui praefert civibus hostem,
Vel qui cive magis occupat hoste larem;
Qui spuit in propriam, probra spargit propria, barbam;
Nidum, quo residet, sordida foedat avis.
Turpe rudimentum patriae proponere Graecum
Et servum vitii pectus habere suum.
Cernitur Antenor longis ambagibus usus
Totum sermone detinuisse diem.
Deficit auditor, non deficit ipse loquendo:
Sunt sibi qui sola garrulitate placent.
Postquam picosa verborum gurgite lingua
Effluitat, totum scibile scire putat.
Sermo datur multis, animi sapientia paucis,
Nonne fuit brevior quam sua verba dies?
Speraram, quod pro patria placitaret et urbe,
At spes optatum non tulit illa lucrum.
Civibus illius nocet allegatio, prodest
Hostibus; est unum civis et hostis ei.
Ut probra pensemus Danais et damna luamus,
Praedicat et populum, qui sibi credat, habet.
Et plebs illius dictis consentit et errant
Erroremque suum, quo tueantur, habent;
Consumtas querelantur opes, populumque minutum,
Brachia fessa, rei taedia, teque senem.
Non est regalis exhausta potentia, grandis
Restat adhuc populis, strenuitate potens.
Quid refert, si degeneres in taedia vertit
Belli sors annis continuata decem.

---

937. Nevel. Anon. p. 519 lin. 1. 945. 46. (Maximian.) I, 203. 4, secundum versum tamen Maxim. noster imitatus est:

O sola fortes garrulitate senes.

949. Caton. dist. I, 10. s. d. cunctis, a. s. p.

958. Ovid. Fast. I, 32

Erroremque suum, quo tueatur, habet.

Mens tamen illorum, quibus est equus et puer et res
Et virtutis amor, insuperata manet.
Nemo pruinosam rex in te spernere debet
Caesariem, tibi laus contigit ante diem.
Nondum natus eras, sed eras tunc matris in alvo,
Ferre ferebatur nobile mater onus.
Qualia tu genitus genuisses gaudia regno,
Plaudit adhuc laeto carmine fama loquax.
Tu puer et juvenis, audivi saepius ista,
Segnis nobilibus indole clarus eras.
Inberbis juvenis, tandem custode remoto,
Regna tuebaris unica dextra patris.
Tu decus es patrium post fata paterna secutus
Nobiliore studens regna tenere statu,
Viribus, ingenio, specie, virtute, loco, re
Singula, quae fuerant jure patranda, patras,
Asperitatis et invidiae corrector et irae
Aura serena bonis, scopa severa malis.
Graeca supervenit violentia viribus, armis,
Navibus et bellis littora Teucra premens.
Restitit Argolico tua sollicitudo furori
Expensis belli per duo lustra datis.
Cum tot sustineas et tanta negotia solus,
Mens invincibilis et bene firma manet.
Mutavit mentem populus levis et calet uno
Stertendi studio deteriore modo;
Tanquam pascatur siliquis et pane secundo
Murmurat et labiis improba vota probat.

---

965. Hor. A. P. 248
Offenduntur enim, quibus est equus et pater et res
etiam cfr. (Maximian) I, 34 sq.
Has inter virtutis opes, tolerantia rerum
Spernebat cunctas insuperata minas.
975. est Horat. Ars poet. v. 161. 976. Margo tu, dico pro „unica". 977. secutus. schol. scil. regnum. 987. est Horat. Ep. II, 1, 1. 989. 90. est Hor. Epist. II, 1, 108. 9 ubi tamen
Scribendi studio, puerique patresque severi
891. Hor. Epist. II, 1, 123. vivit sil. et p. s.

Sed licet egregia facies tua computat annos,
Intus rex aliquid corpore pluris habes.
Consilio pollet cui vim natura negavit,
Et probitas magnos ingeniumque facit.
Omnia labuntur, nil non mortale tenemus
Pectoris exceptis ingeniique bonis.
Non tua tantisper est inclinata potestas,
Ut caput alterius non relevare queas.
Sunt populi, sunt arma tibi, tibi copia rerum,
Tota nec interiit purpura clara ducum.
Sunt tibi, sunt hostes ferro clavaque domandi,
Spem quamvis et rem plebs neget ista tibi.
Non pudet Antenor te, quod vexillifer his es,
Vertere qui clypeos et dare terga solent?
Degener es, si degeneres a more parentum,
Non ea nostrorum sunt monumenta patrum.
Immo recolligere populum, sedare tumultum
Debes, et pavidis cor recreare novum.
Illis uniri non est manifesta phrenesis,
Intendunt nostram qui jugulare gulam?
Non sic Antenor, non sic; sed amicus amicis,
Et socius sociis, hostibus hostis eris.
Consilii fit summa mei, quod vel superemur
Funditus a Graecis vel superemus eos.
Aut evincamus aut occumbamus honeste,
Mortem non, vitam vivere dico male.
Et sic instimulat, veteremque resuscitat iram
Principis Amphimachus, bella movere ratus.

---

995. Caton. dist. II, 9. 996. Ov. Pont. I, 9, 39. sed pr. m. i. q. f. 997. 98. Ov. Fast. VI, 771. Trist. III, 7, 43. 44
Tempora labuntur, nil non m. t. etc.
1011. Juv. satyr. XIV, 136
Cum furor haud dubius, cum sit manifesta phrenesis.
1018. (Maximian) I, 265
Morte mori melius, quam vitam ducere mortis.

LIBER SEXTUS.

[INCIPIUNT CAPITULA SEXTI LIBRI.]

Arguit Aeneam rex Aeneaeque sodales
Pacem suadentes; iratus dictat in aula
Qualiter Amphimachus illos transmittat ad Orcos.
Missus Polydamas pro traditione Synonen
Ad socios ducit e castris; ille reportat
Signa, locum, tempus venturis limen in urbis.
Per cives intrant regem populumque trucidant,
Frangitur, obruitur, ad fundum Troja crematur.
Dictatore libri positis aetateque Trojae
Et numero caedis gens Graeca repatriat omnis.

[SUASIO AENEAE.]

Qui color albus erat, nunc est contrarius albo;
Et nihil est, de quo non sit habenda fides.
His Anchisiades contrarietatibus astans
Fidus primo modo perfidus exit in haec:
De bello de pace reor satis esse locutum,
Inter se pugnant jugiter ista duo.
Haec simul una nequit mens amplecti sed oportet,
Hic vel ibi quivis ut sua vota locet.
Nemo potest animum tantis inflectere rebus,
Ut res oppositas mens ferat una duas.
Hic bellum, pacem desiderat iste, quietem
Diligit hic, fluvios sanguinis iste sitit.
Qui bellum sitiunt illustres esse videntur,
His vires optant aequiparare suas.

---

1. Schol. marginis. quasi dicit: omne quod in mundo est mutabile est. — Ovid. Met. II, 541
Cui color albus erat nunc est contrarius albo.
2. Ov. Trist. I, 7, 8. 9. 10. (Maxim.) I, 45. 46 qui habet: Haud facile est anim. t. i. r. etc.

Illis paullatim praeceps audacia crevit
Cordaque languentem dedidicere metum.
Ad magnum virtutis opus summosque labores
Mentem componunt, nulla pericla timent.
Credunt esse nefas animum praeferre pudori,
Plusque solent famam quam timuisse necem.
Pectoris incursu confringere tela peroptant,
Sic titulum magnae laudis ad astra levant.
Est bona militia melior fortuna, sed omni
Tempore tironem non fovet illa suum.
Gloria si retrahit vultum, fortuna recedit,
Et gravius summo culmine mersa ruunt.
Troja semel istos non es experta labores,
Sors quae multociens accidit ista tibi.

[MULTI PACEM FIERI POSTULANT.]

Pacis amatores intendunt esse, quiete
Ducere per patrios otia laeta lares,
Uxores redimire probas, puerosque decennes
Et quasi dilapsas conciliare domos.
Sub qua decubuit, requiescere diligit, umbra
Taurus et amissum quaerit ovile pecus.
Dulcius in solitis cantat philomela rubetis,
Eventus varios res nova semper habet.
Litterulis dominam vel saepe salutat, ut inter
Funera tot totiens se superesse sciat.
Saepe remissa viro mulieris epistola dicit:
Nil mihi rescribas, attamen ipse veni!
Nam quamquam sapor est allata dulcis in unda,
Gratius ex ipso fonte bibuntur aquae.

---

15. 16. Claudiani sunt: de rapt. Proserp. praef. 9. 10. 16. Cod. dedicere. 30. pro ducunt cod. 31. glosa. allegat per hos, qui de aliis regionibus evocati jam per decennium steterant contra Graecos. 33—35. (Maxim.) I, 45—47, ubi tamen primus versus:

Sub qua decubuit requiescens, diligit umbram etc.

36. (Maxim.) I, 52. 38. margo. probet. 40. Ovidii est Heroid. I, 2. 41. 42. Ovidii Pont. III, 5, 17. 18.

Non miror Priamum non hinc non inde moveri,
Et varie varia voce sonante rapi.
Obtundunt siquidem curarum pectora sensum:
Intermissa minus sarcina pondus habet.
Felix qui potuit tranquillam ducere vitam
Et laeto stabiles claudere fine dies.
Si quis, quae mea sit super his sententia, quaerit,
Plus quam sub bello, vivere pace rogo.
Nemo miretur, bis quinta revolvitur aestas
Quod patriam tanta commoluere mala,
Et glacialis hiems aquilonibus asperat undas
Iam decies, pugnae nec numerabo vices.
Nullo nobiscum sumus unquam tempore, noctes
Ducimus insomnes, omnis amara dies.
Mendicant requiem post longum membra laborem,
Unde peto poni proelia, pace frui.
Polidamas verbis assensum praebuit istis
Et pacem fieri postulat, arma premi.

[PRIAMUS LOQUITUR.]

Iratus Priamus: Antenor! nunc recitata
Est, ait, a capite cognita causa tibi.
Ad Danaos legatus eras, cum rapta fuisset
Primitus Hesyone factaque praeda gravis,
Insuper occisus genitor, quid cetera dicam?
Propria continue prodere probra pudor.
Non quasi nuntiolus, quam secretarius ibas,
Nam via consilio prodiit illa tuo.
Ad Graecos itaque transisti, quid retulisti?
Nonne repente suis te pupugere probris?
Nonne frequens hortator eras, ut in arma volaret
Et quateret totum patria posse suum.

---

45. 46. Maxim. V, 69. 70. 47. 48. Apud eund. I, 289, 90.
Felix qui meruit tranquillam ducere vitam /
Et laetos stabili claudere fine dies.
52. Virgilii est Aen. III, 285. 56. glos. omn. am. di. est. 66. glos. prod. probr. pud. est.

Missus Alexander est te suadente, reversi
Tyndaris est juncta per tua verba thoro.
An non Aeneas Paridis fuit in comitatu,
Quum fuit in nostram vecta Lacaena domum?
Proelia mota vides et funera mille peremta,
Transtulit huc vires Graecia tota suas;
Innumeri cecidere duces utriusque cohortis,
Cum vulgo nulli mucro pepercit hero.
Si mala sunt ista mala sint, bona si bona, verum
Aeneas et tu confabricastis ea.
Certe si mala sunt, incentor es ipse malorum,
Deque malis tantis jure vocandus eras.
Mortibus innumeris per te dua regna ruerunt,
In nihilum per te Troja redacta jacet.
Digne pro meritis deberes vivus humari,
Tot quia consiliis interiere tuis;
Nec refert an sis mediata vel immediata
Causa mali, sola lex ad utrumque facit.
Non es causa, sed es nobis occasio quaedam
Bellorum; non es arma, sed arma movens.
Consiliis istis, si mens non laeva fuisset,
Debuerant aures abstinuisse meae.
Si bona sunt ista, quare flexisse videris
Propositum citius a bonitate repens.
Vinceris hic jure contrarius ire priori,
Dissolvunt veterem jam nova verba fidem.
Quo teneam nodo mutantem Protea vultus?
De duplici verbo turpis habetur homo.
Propositum sepelire bonum non arbitror aequum
Aut clarae fidei fraude nigrare statum.
Non avis utiliter viscatis effugit alis,
Non bene de laxis retibus exit aper.

---

73. schol. sc. Alexandri. 74. schol. Helena. 76. Lac. e. margine pro leena. Schol. Helena. 100. Avian. XXIX, 24
Hic erit invisus, bina quod ora gerat.
103. alit pro alis. 103. 4. Ovidii sunt Ars Am. I, 391. 92 qui tamen pro retibus, cassibus habet.

Diruis, aedificas, mutas quadrata rotundis,
  Est hodie fletus, quod tibi risus heri.
Erubui gremioque pudor dejecit ocellos
  Te primis verbis pacis habente tropos.
Si quis in ore duas aliquo fert tempore linguas
  Altera praecidi forcipe debet ei.
Inter veridicos non debet stare bilinguis,
  Est quia dedecori propria lingua sibi.
Simplex principium duplici qui fine relidit,
  Hic erit invisus, bina quod ora gerat.
Fine probatur homo, careat successibus apte;
  Quisquis ab eventu corda notanda probat.
Esse tui cordis ego te sententio furem,
  Qui bona dum loqueris non bona corde geris.
Mobilis et varia semper natura malorum,
  Ex hoc fertur in hoc, torta, retorta tenens,
O scelerate! duo contraria fers in eodem!
  O te! redargutus ergo recede procul!
Et statim Priamus exsurgens flammeus ore
  Succincte reliquis omnibus ista serit:
Nolumus ad voces Antenoris esse reflexi
  Pax et cum pace sit nota perpes ei,
Qui bellum petiit mature bella reliquit,
  Bellum consuluit et modo bella fugit.
Haec facit et, positis in seditione quibusdam,
  Plures, quos tentat, in sua vota vocat.
Detegit imbelles animos nil fortiter ausa
  Seditio, nostra non toleranda domo.
Contemnamus eos, sed vos estote parati,
  Protinus ut mandat arma levare tuba;
Portis exite, castris irrumpite, Graecos
  Sternite, viventes mortis in arma date.
Supremi mittemus in hos certaminis ensem,

---

105. Horatii est Ep. I, 1, 100, qui Diruit etc. habet. 108. schol. similitudines. 115. cod. opte. 116. margo „putat“. 119. Juv. Satyr. XIII, 236. m. e. v. est ferme n. m. 135. e margine pro pornis. 137. e margine pro suppremasi.

Saepe dato melius tempore fiet idem.
Dixit et ignito rex coetum pectore solvit,
Nec sine moestitia plebs sua tecta subit.

[PRIAMI COLLOQUIUM CUM AMPHIMACHO.]

Amphimachus sequitur, intrante palatia rege,
De rixa placiti mentio surgit ibi.
Rex ait: Antenor, audisti! quanta profudit
Non nostris, facilis hostibus esse volens,
Et quod pro nihilo ducamus damna, dolores
Quasque tulit nobis gens inimica neces.
Nec mala voce mea poterunt haec cuncta referri,
Ora licet tribuas multiplicata mihi.
Aeneas et Polydamas imitantur eundem,
Pars quoque de populis adstipulatur eis.
Extat in his nulla mihi confidentia; credo,
Prodere quod Trojam proditione velint;
Unde superstitibus his nuncquam Troja triumpho
Gaudebit, bellis obsita semper erit.
Illis sublatis succedent prospera nobis,
Et ruet ad nostros Graecia victa pedes.
Hanc maculam delere volo, tu conscius esto
Praestans consilio pectora fida meo.
Nemine sub tunica tua portes arma sciente,
Summum consilii dogma „tacere" puta.
Cras ego divinam sum rem facturus in arce,
Tu tempus memori pectore tale tene.
Tunc et enim mecum venient coenare vocati;
His fac ut extremi coena sit illa cibi.
ApprobatAmphimachus, quod et hic agat, omnia spondet,
Colligat ista fides. Hic abit, ille manet.

---

138. Ovid. Ars Am. I, 404. 141. schol. sequitur: regem. 144. schol. sed facilis. 150. schol. Antiquitus inter dissentientes, omnes qui consentiebant, producebant stipulam et inde transsumtum est adstipulor, aris. 160. cod. docma.

[CONSILIUM ANTENORIS ET PRINCIPUM.]

Nondum sol liquidis se miserat aureus undis
Clam sociant aliqui se, sine teste, sibi;
Scilicet Antenor, Iolaus Polydamasque,
Amphidamas illis affuit atque Dolon.
Dicunt mirari se, regem malle perire,
Quam sua sub pacis prosperitate fore.
Hostibus inclusi sumus omnes, patria moeret,
Sunt quia continua proelia, quisque dolet.
Consiliis, Antenor ait, attendite nostris
Dicendis firmam continuando fidem.
Quidque velitis et his praestate silentia rebus
Dicite; moxque ligant his sua vota fide.
Omnibus adstrictis Aeneam deesse patrandis
Noluit Antenor, unde vocatus adest.
O Anchisiades! ait, ista frequentia belli
Omnibus est oneri, dicimus ergo tibi.
Censeo tradendam, tu si consenseris, urbem;
Est grave perpetuis corpus humare malis.
Cautio quod danda sit ad ista negotia, scitis,
Ne noceat voto suspiciosus homo.
Ad Danaos sapiens et cautus nuntius ibit
Semina consilii seminet ille duci.
Ille reportabit pacis tutamina nobis
Ut vadant nostra liberiore via.
Tardandum non est, sed ut acceleremus oportet,
Non patitur longam lectio nostra moram!
Hanc hominum siquis audiverit ante, curante
In nostram cedet protinus illa necem;
Et quia nos Priamo pacem persuasimus olim
Instat consiliis forsitan ille novis;

---

168. fortasse legendum: sed sine teste. 169. Dares nominat: Ucalcyon. 170. cod. Delon. 188. Schol. Graecorum. 192. Ov. Met. IV, 350. vixque moram patitur. 193. schol. cur. finem. 194. schol. quia si consilium istud intellexerit ante finem occidemur a Priamo. 194. schol. illa. lectio vel actio.

Adde, quod irato dissolvit pectore caecum;
Quis scit an haec nostrum nutriat ira malum?
Plus aloes quam mellis habent pro pace petita,
Ergo nos Priamo hinc quasi poena sumus.
Cum turbam turbo turbavit, turgidus ipse
Hoc nos turbare turbine pronus erat.
Dixerat. Applaudunt et statim Polydamantem
Illa cohors Graecum mandat adire ducem.
Polydamas itaque gradiens Agamemnonis ista
Auribus insinuat, rexque serenus ovat.

[CONCIO GRAECORUM.]

Iam Phoebum tenet unda maris, clam convocat omnes
Rex Danaos rogitans, quis quid ad ista sonet.
Concipit ingentes animos hoc omine Graecus
Persuadens regi munera laeta capi.
Proditor aut unus, aut plures? Omnibus omnes
Res salvae maneant; hi pede pacis eant.
Tu, quamcunque deus tibi fortunaverit horam,
Grata sume manu, neque morere diu.
Qui tulit in castra, rex! hujus semina grani,
Ne dubites illi verba secunda loqui.
Est ea res nimium temeraria, dicit Ulixes,
Et consentit in hoc themate Nestor ei.
O totiens hominis mutatur spesque laborque,
Cursor ad optatas non venit usque metas.
Quis scit an hoc oculo spectat fortuna sereno?

---

199. schol. amaritiam designat pacis quam nos petivimus.
200. schol. quia nos persequitur. 213. 14. Hor. Ep. I, 11, 22. 23. Tu, quamcunque etc.
Grata sume manu; nec dulcia differ in annum.
219. Pamphil. XXVII, 1.
Multotiens hominum frustratur spesque laborque.
220. pro cod. moras Hor. A. P. 412
qui studet optatam cursu contingere metam
Ov. Trist. IV, 8, 35
Non procul a metis, quas pene tenere videbar,
Curriculo gravis est facta ruina meo.

Fallitur augurio spes bona saepe bono.
Pyrrhus ad hoc, quia displicuit dissuasio Pyrrho,
Regi vicino stabat et ipse loco:
Providus est Nestor, est circumspectus Ulixes;
Discrete dubitant et dubitando timent.
Quid tentare nocet, votum labor improbus implet
Arsque vigil magnas saepe ministrat opes,
Nec mare transisset, pavidus si nauta fuisset;
Turgida cum primum restitit unda rati.
O rex! interdum labor altus expedit actus,
Maxima segnities commoda tollit iners.
Quantumcunque potes, facito properare laborem,
Nec mora segnis opus differat ulla tuum.
Tempus ad hoc fortesque viros fidosque notabis,
Quos credis tutos, effuge, tutus eris.
Quis bona sic nisi mentis inops oblata refutet?
Resque laboriperas absque labore datas?
Plebs probat hoc, firmatque fidem laudatque laborem,
Ipsaque clara ducum concio spondet opem.
Regi Polydamas signum diffamat, ut illi
Norint, quo veniant tempore, quoque loco.
Promittunt proceres et jurant Polydamanti
Immo vovent stabilem regis ab ore fidem:
Ejus quod rebus, quod amicis, quodque propinquis
Quod sibi servetur intemerata fides;
Aeneam nullus, Antenora nemo, Dolona
Nemo contigat, nemo nocere velit;
Incolumis maneat Iolaus et omnis in isto
Fida mente volens conscius esse foro.

---

222. Ovid. Heroid. XVII, 234
Fallitur augurio spes bona saepe suo.
227. Ov. Met. I, 397. quid tentare nocebit. 228. Ov. Pont. III, 1, 104
Has Fortuna tibi nostra ministrat opes.
229. 30. Pamphil. III, 9. 10. 237. Gualt. Alex. IV, 571
Quis nisi mentis inops oblatum respuat aurum?
238. schol. laborem parantes. 241. cod. illo.

[MITTITUR AD AENEAM.]

Mittit ad Aeneam cum Polydamante Sinonen
Rex, rem non dubia certificare nota.
Postulat ut signum, locus assignetur et hora
Quomodo, quando, quibus, aut ubi fiat opus.
Istis Anchises interfuit actibus, istis
Antenor; fuit hos jussus adire Sinon.

[QUOMODO TROJA CAPIENDA SIT.]

Est locus in Troja, stat in illo porta locata,
Scaea vocabatur, ampla, decora, nitens.
Pro reliquis erat huic specialis gloria signi,
Post caput inventor sculpserat illud equi.
Audierant socii scelerati verba Sinonis
In quae se dederant, pacta patrare parant.
Nostra, Sinon! ajunt, studeas propendere verba
Regi, quae loquimur, regrediendo refer:
Hanc portam, monstrantque sibi, reserabimus Argis,
Nolumus hos aliis apropriare locis.
Tempus captabunt, media quoque tempora servant,
Venturi siquidem tempore noctis erunt.
Lumen eis dabimus pro signo, lumine viso
Protinus in portam Graeca caterva fluat.
Nos erimus praesto, quid agendum, quo sit eundum
Indubitanter erit praevia nostra manus.
At nos et nostri, nos nostraque more sequestro
Portae iam dictae stabimus ante fores.
Vos pactam servate fidem, non armiger ullus
Contingat nostras ense vel igne domos.
Ecce locum dedimusque tibi cum tempore signum
Et totum rerum te didicisse modum.
Vade, vale: cave ne titubes, mandataque frangas,
Ac nihil ex istis nisi pienter agas.

---

254. schol. traditionis. 258. cod. Seta. schol. Aliae portae non habebant signa, ideo caput equi sculptum fuit in ista speciale signum. 260. schol. post. i. e. extrinsecus. 279. Horatii est Epist. I, 13, 19.

Si quidquam fuerit de contingentibus auctum,
Demtum, mutatum credimus esse malum.
Si non cuncta, Sinon! iterum tibi dicimus, apte
Feceris; infelix et cibus ignis eris.

[EXCLAMATIO AUCTORIS IN TRADITORES CIVITATIS*).]

Quid facitis, scelerata cohors? qua flante Megaera
In mentem vobis spiritus iste ruit?
Es pius Aenea? sic cantavere poetae;
Cujus produxit fabrica tale nefas.
Virgilii musa mendacia multa colorat
De te non facta sed mage ficta canens.
Insignem pietate virum te nominat, aequum
Praedicat et saepe clamitat esse pium.
Es ne pius, propriam qui tradens hostibus urbem
In miseram mittis omnia viva necem!
Cum facie civem, cum pectore te facis hostem,
Impia sub dulci melle venena latent.
Sontibus insontes soboles, sobolumque parentes
Morti quum tradis, semper iniquus eris.
Iam Troja! totius apex tibi crevit honoris,
Tu Trojam toto mungis honore miser.
Reddere gaudet homo nequam pro melle venenum,
Pro fructu poenam, pro pietate dolum.
Non Venus immo Venus; quoniam Venus est meretrice
Quavis deterior, te genuisse potest;
Te lapis et montes, innataque rupibus altis
Robora te saevae progenuere ferae.
Unde neces hominum non curas more lupino,
Tu fieres rapido, viscidus! esca lupo.

*) E margine.

289. Alani Anticlaud. lib. I. (ed. Antwerp. 1611) fol. 6. lin. 9. 296. Ovid. Amor. I, 8, 104. 300. schol. privas. 301. 2. Anon. Nevel. p. 493. lin. 4. 5, ubi tamen ultimum verbum „dolos“ non „dolum“. 302. schol. Non Venus, quae dea; immo Venus, quae meretrix foeda.

Mitius inveni quam te genus omne ferarum,
Antenor! similis est tibi nullus aper!
Urbem, quae multo surrexit ad astra labore,
Una fecisti nocte perire, lupe!
Urbs bona, nobiliter steterat quae pluribus annis,
Flos Asiae, Trojûm gloria, gemma Phrygum,
Hortus tironum, procerum rosa, lilia regum,
Pompa puellarum, mansio grata ducum,
Auxilii murus, patriae tutissima turris,
O miser! o subito, te perimente perit.
Turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur,
Saevior est animo vipera nulla tuo.
Iuppiter in multos temeraria fulmina torquet,
Qui poenam, quam tu, non meruere pati.
Tu quoque Polydamas, qui verba nefanda ferebas,
Nonne feris saevis plus feritatis habes?
Prodis in mortem pueros juvenesque senesque,
In quibus et recubas, moenia clara cremas.
Quem libet acta probant, et quid non proditor audet?
Terraque de fructu, quam sit amara, docet.
Quae seges infecta surget non decolor herba,
Arbore de dulci dulcia poma cadunt.
Nescio, tantorum cum sit pincerna malorum,
Carmine quo fungar in tua fata ferox!
Di tibi dent sociisque tuis inopemque senectam,
Et longas hiemes, perpetuamque sitim.

[PYRRHUS OCCUPAT PORTAM.]

Egrediens in castra Sinon audita reportat,
Rex cum Grajugenis singula verba notat;

309. Ovidii est Heroid. X, 1. 310. Margo. Invehitur in Antenorem. 321. 22. Ovid. e. Pont. III, 6, 27. 28, ubi tamen secundus versus sonat:

Qui poenam culpae non meruere pati.

323. Margo: Invehitur in Polydamantem. 327. Ovid. Fast. II, 331. quid non amor improbus audet. Ovid. e. P. III, 8, 16. 333. 34. Ov. Am. I. 8, 113. 14

Dî tibi dent nullosque lares, inopemque senectam
Et longas etc.

Ad signum sua seque parant, tempusque locumque
Observant, fortes arma subire vocant.
Tempus erat dubiam cogens nigrescere lucem,
Cui neque lux neque nox est, sed utrumque parens.
Non dat adhuc claves custodibus Amphimachus, sed
Se penes has habuit, postea vero dedit.
Claves Antenor Anchisiadesque tulerunt,
Res ea prorsus erat suspicione carens.
Ad murum portae, cautum quibus esse volebant,
Adducunt, murus ut tueatur eo.
Et statim porta succendunt lumen aperta,
Gaudent ad rutilam Dorica castra facem;
Luminis ad radium se transfert ilico Pyrrhus,
Vix bene contigerat Pergama, porta patet.
Mox reseratores pro conservamine ramum
A Pyrrho pacis praesidiique ferunt.
Se quaecunque domus signo cristaverat isto;
Pyrrhus ait; nulla per nocumenta cadet,
Vos igitur vestra vestrosque reponite tuto
Ut vos conservet pactio facta loco.

[CONTEMPLATIO AUCTORIS.]

Urbs, stylus extremam cujus jam scriptitat horam,
Arx regum, procerum quae fuit atque ducum,
Quam situs ipse loci, quam rerum copia major
Extulit, atque frequens rumor ad astra tulit?
Haec ajunt, quod sub Abraham constructa, sed Abdon
Sit quod sub nostro judice strata solo,
Et sunt qui dicant hanc surrexisse sub Aioth,
Qui pinguem valido vulnere fixit Eglon;
Et fortasse legens sic dicet, cur tulit auctor
In cameram studii Troica bella sibi?

---

339. 40. Gualter. Alex. III, 463. 64
Tempus erat dubiam cogens pallescere lucem,
Cui neque lux neque nox imponit nomen utrumque.
340. schol. crepusculum. 362. margo: noster dicit quod temporibus judicum quum esset Abdon judex destructa est Troja.

Non propter Trojam, Trojanum scribere bellum
Aut coepit Phrygum sollicitare stylum,
Sed ductus meliore via compescere pravos
Et servare dei vult in amore bonos.
Grata medulla latet omni sub cortice rerum,
Et nucleum celat arida testa bonum.
Nos docet Herodes, sicut Baptista Johannes,
Erudit iste bonos, territat iste malos;
Et bene, si memini, fas est et ab hoste doceri,
Virtutumque Sathan fabricat arma tibi.
Nos ad serpentes formicas bestiolasque
Et sacra pennatas pagina mittit aves;
Et mihi Job loquitur, quia me jumenta docebunt
Et nihil est quod non prosit et obsit idem.
Hic sonat invidia, livor, truculentia, fastus,
Ambitio, rancor, ira, libido, dolus.
Postremum vero Trojae miseranda ruina
Informativa singula voce sonat;
Ut malus absistat justusque resistat, habeto,
Sed quia clauserunt haec mala fine malo.
Quod brevis est risus, quod longaque lacrima mundi
Quondam Troja potens incinerata docet.
Iam firmum nihil est, cui non metus esse ruinae
Possit, et hoc subito; persequor ergo cito.

---

367. margo. Respondeo. 370. margo pios. 372. Anon. Nevel. p. 486. vers. 12. 375. Margo: Verum dictum, quia et hoc homini datur pro anima sua et in multis aliis instrumentis ab eo et licet ipse non intendat nostro professui sed suae pravae voluntati. — cfr. Ovid. Metam. IV, 428. 381. 382. Margo: hic. i. e. in isto libro sonat invidia quo ad Peliam, livor quo ad Paridem et Menelaum, truculentia quo ad pugnantes, fastus quo ad milites et victores, ambitio quo ad Palamedem, rancor quo ad rusticos, ira, quo ad victos, libido quo ad Paridem et Helenam, dolus quo ad Hecubam. 384. cod. sonant. 385. schol. hab. nunc librum.

389. 90. Gualt. Alex. VIII, 399. 400.
Tam firmum nihil est, cui non metus esse ruinae
Possit ab invalido, qui nondum navigat aequor.

[EXPUGNATIO TROIAE.]

Tempus erat, quo prima quies mortalia membra
Inficit et cerebrum gratior hora linit;
Lumine conspecto properant ad Pergama Graeci
Quolibet accincti fortiter ense suo.
Irrupere Thoas, Adamas, Ajax et Epimus
Paene quidam primus ipse Machaon erat.
Tessander, Sthenelus, Menelaus, Nestor, Ulixes
Immo globata simul Dorica tota phalanx.
Invadunt urbem somno meroque sepultam,
Ilico dejicitur omnis ab arce vigil.
Tunc mediam ruit in urbem numerosa juventus,
Tunc gladium coepit ferrea ferre manus.
Aggeribus ruptis sic spumens effluit amnis
Et nimis insanis jugera pressat aquis.
Teucrorum mentes inopinatissimus intrat
Horror, inauditus concutit ossa tremor.
Nec mirum; tanto terebratur Troja fragore
Tamque gravem strepitus reddidit ille sonum,
Ut credas omnes agitasse tonitrua ventos
Vel magis in primum cuncta ruisse chaos.
Armatos astare Phryges in lumine primo
Et stricto postes ense sonare tremunt.

---

391. 92. Virg. Aen. II, 268. 69.
Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
Incipit, et dono Divûm gratissima serpit.
395. margo: propria nomina. — Epimum invenimus apud Virgilium sub nomine Epei. Virg. Aen. II, 262. 63. 64.
— — Athamasque Thoasque
Pelidesque Neoptolemus? primusque Machaon,
Et Menelaus, et ipse doli fabricator Epeus
397. Tessander. Virg. Aen. II, 261
Tisandrus Sthenelusque duces, et divus Ulysses.
399. Virg. Aen. II, 265. 401. Gualth. Alex. I, 322. 23.
— —, ruit omnis in urbem
Turba, perit etc.
403. cod. annis. Virg. Aen. II, 496 sqq.
Non sic, aggeribus ruptis cum spumeus amnis
Exit, oppositasque evicit gurgite moles
Fertur etc.

Tecta fremunt, resonat magnus plangoribus aether,
Territus hinc vagit matris in ora puer:
Foemineis omnes ululant plorantibus aedes,
Cuncta dolore fugit exhilarata quies;
Exilit hic nudus, hic prima veste renactus;
Occurrens Danaus perfodit ense latus.
Foemina nuda salit e lecto, vix bene prolem
Arripit, ante larem non venit, icta cadit.
Ille vel illa caput jam paene levaverat, Argus
Advolat, in partes membra levata secat;
Membra levat sensim vili demissa grabato
Servulus et venter scinditur ense suus.
Enbipedat pes attonitus, quia dum fugat ille
Obviat hic, nescit quo moderatur iter.
Dum gladios fugiunt, gladiis in acumina currunt
Et mortem generat mortis ubique fuga.
Cum planctu luctus et plurima mortis imago
Nascitur et nulli se revocare datur.
Hostica per totam diffunditur ultio Trojam,
Rumpia crudelis fert genus omne necis.
Penelei juvenis cecidit mucrone Coroebus
Nec poterat supplicem Iuno juvare virum,
Iste procus fuerat Cassandrae, cujus amore
Venerat in pugnam, post habiturus eam.
Confixi pereunt Hypanisque Dymasque, nec ullus

413. Virg. Aen. IV, 668. 414. Ovid. Fast. IV, 208
Tutus ut infanti vagiat ore puer.
415. Virg. Aen. II, 487. 88
— — penitusque cavae plangoribus aedes
Foemineis ululant.
417. schol. circumdatur. 422. e margine pro: secata levat.
425. Schol. dubitando vadit et dicitur ab en quod est in et bis et pes. 429. Virg. Aen. II, 368
— — crudelis ubique
Luctus ubique pavor et plurima mortis imago
432. textus praebet romphea, i. e. rhomphaea pro qua forma posuimus latinam formam rumpia. 433. Virg. Aen. II, 341 juvenisque Coroebus. Penelei dextrâ. 437. e. Virg. Aen. II, 428 — — pereunt Hypanisque Dymasque
Confixi a sociis
posuimus pro nostri codic. Hispanisque dunasque.

Sustinet occubitum dinumerare ducum.
Quid recitem, reticere juvat; justissimus unus
Qui fuit in Teucris, quod perit Eripheus.
Itur in omne nefas; postes a cardine vellunt,
Ipsaque magnatum domata strata ruunt,
Altas dejiciunt a summo cardine turres,
Iam fiunt omnes terra domusque pares.
Sternitur extractus, si quis latitaverat intus;
Multo Teucrorum sanguine fumat humus.
Gens victrix tandem Vulcano fulminat urbem,
Nemo tum latum vidit in orbe focum.
Flamma vorax ad celsa volans obnubilat astra
Longe sepositа percutiendo loca.
Tros miser, arma timens, exermis currit in ignes,
Ignis ut hinc urit, rursus ad arma ruit.
Hic ardent aedes, hic detruncat Diomedes
Per varias caedes brachia, crura, pedes.
Vix sit habenda fides quot millia stravit Atrides;
Omne quidem vivens paene perire vides.
Densatur plangor, ferit aurea sidera clamor,
Est omni major iste dolore dolor.

[FINIS PRIAMI.]

Forsitan et Priami fuerint quae fata, requiras;
Ipse fere primus sub necis ivit onus.

---

441. Virgilii Aen. II, 480 — — postes a cardine vellit.
443. Virg. Aen. II, 445. 46
Dardanidae contra turres ac tecta domorum
Culmina convellunt.
447. Gualth. Alex. I, 348
Imperat et reliquam Vulcano fulminat urbem.
451. 52. Gualth. Alex. III, 312—13
Iste pyram reverens gladios incurrit: at ille
Ut gladios fugiat medios se mittit in ignes.
457. Virg. Aen. II. 488. fer. aur. sid. clam. 459. Virg. II, 506, e quo loco nostri „requires“ mutavimus in requiras.

Coeperat et Priamo signum splendescere nigrum
Et portam turba jam subitura foret;
Antenor duxit in celsa palatia Pyrrhum;
Tunc fuerat ferro cinctus et ipse fero.
Non sinit interea Pyrrhus dormire mucronem,
Sternit quos media conspicit ire via.
Ianua regalis temere convulsa tumultu
Horrendaque replet anxietate domum.
Excitus ad strepitum longaevus anhelat ad arma:
Arma quibus pacem duxerat ipse diu.
Armandi Priamo deest copia, copia vero
Insueto poterat utilis esse minus.
Qui mediis postquam videt in penetralibus hostem
Remigio credit devolitare pedum.
Alas perdiderat pennas furante senecta,
Furtivo graditur temporis aura pede.
Non longe stetit ara Iovis; vix contigit illam
Rex ratus auxilii fercula ferre Iovem;
Insequitur Pyrrhus et ad aram crine retractum
Per laevam rigido perfidit ense senem.
Hic finis Priami, sic taedas turpiter actas
Ledaeaeque luit exitiale nefas.

[EXCIDIUM TROIAE.]

Hecuba moesta fugit sequiturque Polyxena matrem,
Iam credunt ambae sustinuisse necem.
Aeneas occurrit eis, o tiro! puella
Ista tuo vivat munere, mater ait;
Omnia perdidimus, tantummodo vita relicta est,
Praebeat ut sensum materiamque mali:

---

461. Margo. splendescere propter ignem, nigrum propter corruptam intentionem. 473. Virg. Aen. II, 508.
et medium in penetralibus hostem.
479. Virg. Aen. II, 550. 551. 553.
— — — altaria ad ipsa trementem
Traxit
ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
481. Virg. Aen. II, 555. haec finis Priami fatorum.

Occubuit Priamus, Polydorus et ipse Polytes,
Cum populis omnes interiere duces.
Solvitur in cineres Trojae latissima sedes,
Aequantur plano culmina celsa solo;
Carnifici fortuna potest mea flenda videri,
Omne trahit secum Palladis ira malum.
Iam metuo, miseros fratrum quod currat in artus
Et quod jam Danaus perfodet ense latus.
Optarem potius perfigi cuspide raptim,
Quam mala tanta diu ferre doloris acu.
Mitius ille perit, subita qui mergitur unda,
Quam sua qui tumidis brachia lassat aquis;
Sed misere solus superest post omnia luctus,
Quot bona possedi, tot modo tanta fleo;
Nec lacrimabatur, lacrimas introrsus obortas
Ebibit ipse dolor funereusque pavor.
Aeneas illam patri commendat, apud quem
Toto torturae tempore clausa sedet.
Plangendo fugit in aedem Cassandra Minervae,
Hic Heleno fratre concomitata latet.
Graeci devastant, occidunt; nocteque tota
Officium Phrygibus ignis et ensis agunt.
Argentum rapitur, ebur, aurum, serica vestis,
Ostraque cum phaleris, purpura, gemma, chlamys;
E porta juvenes exportant pondera praedae
Omnibus in fine distribuenda bene.
Occidit hac sorte gaudens opulentia Trojae,
Finit, fitque cinis urbs bona, plena bonis,
Ampla potentatu, celeberrima, digna relatu,
Felix primatu, principe, cive, statu.
Iugiter ignara fortuna quid esset amata
Urbs vetus et clara fit pecualis ara;

489. Schol. filii erant Hecubae. 490. Schol. quos praesentes non videt, omnes occisos credidit. 491. Virg. Aen. IV, 530 solvitur in somnos. 493. Ovid. Trist. III, 11, 37. 494. Ovid. Trist. III, 11, 72
Omne trahit secum Caesaris ira malum.
499. 500. Ovid. e. Pont. III, 7, 27. 28.

Urbs res declarat, ubi fundamenta locarat
Phoebus et aptarat moenia, vomer arat.
Nemo sibi ponat: in mundi flore vivamus;
Capta vides sero Pergama, capta tamen.

[AGAMEMNONIS ORATIO.]

Orto sole duces Agamemnon in arce Minervae
Convocat et verba protinus ista levat:
Gratulor, o proceres! quia nos hoc fine labores
Clausimus, interius absque labore sumus:
Tunc bene pugnatur, cum pax pugnando paratur,
Nobiliora bona proelia pace mala.
Fortunam Priami cantavit Troja diebus
Pluribus, et nostra dissuit ossa metus,
Unde viri medio ceciderunt tempore, terram
Sanguine qui vobis hanc peperere suo;
Scilicet Aeacides cum Patroclo Diomedes,
Quique prior tinxit Prothesilaus humum.
Multi qui numerum vicerunt, ala Quiritum!
Fustibus et gladiis qui periere Phrygum.
Nomina praetereo, Protenoris Antilochique;
Me cunctos prohibet enumerare dolor.
Sed neque multiplices nostrorum promere mortes
Cum totidem linguis sunt satis ora decem.
Nil adeo fortuna gravis miserabile fecit,
Ut minuant nulla gaudia pace malum.
Flebile principium melior fortuna secuta
Est, tulit undosos clarior aura dies.
Nunc ad nos vultu rediit fortuna sereno
Matris in uberibus facta noverca prius.
Dardanidas vestri pulchre domuere lacerti,
Troibus et Phrygibus imperat ista manus.

522. Ovid. Heroid. I, 67
Utilius starent etiam nunc moenia Phoebi
524. Ov. Ars Am. I, 478. 527. pro cod. vos. 544. Ov. e. Pont. IV, 4, 5. 6, ex quo loco nostri „parte“ mutavimus in „pace“. 545. Ovidii est Metamorph. VII, 518. 547. Ovid. Trist. I, 4, 27: et vultu ridet fortuna sereno.

Troja jacet certe Danais invisa puellis,
Iam bove captivo Pergama victor arat.
Sub pedibus calcatis eam, quae maxima dudum
Regibus et magnis imperitabat heris.
Promeruit nostra magnas constantia laudes,
Per nos in cinere Troja sepulta jacet.
Vos haec, vos inquam, victoria solis ab ortu
Solis ad occasum laudis honore feret.
Immo terrarum quo tempore volvitur orbis,
Omnibus in linguis iste triumphus erit.
Trojam devicit, cantabunt, Graecia victrix,
Crimine quae Paridis fit rogus, inde cinis.
Obruta Troja docet mundi quid in omnibus actis
Est virtus: placitis abstinuisse bonis.
Efficiens ille manet urbi causa ruinae,
Ausus legitimi fallere jura tori.
Ob Paridis praedam praedatam cernitis urbem,
Hic merito venit, illa maligna fuit.
Vos istas hodie res diripuistis honeste,
Viribus egistis omnia, fraude nihil.
Quam bene, quod praedam partem portastis in unam,
Est spolii danda portio cuique sua.
His, quibus est promissa fides, estote fideles,
Fraus absit: vacuas caedis habete manus.
Laudo vos, sed in hoc non laudo, vultis eisdem
Stricte promissam si temerare fidem.
Si sit contactum quicquam de rebus eorum,
Reddatur penitus, omnis abesto dolus.
Aeneas maneat cum Polydamante quietus,
His erat Acalegon et comes ipse Dolon;

---

551. imitatio Sabini I, 12:
non me Troja tenet Grajis odiosa puellis.
552. schol. possibile ponit. Ovid. Heroid. I, 51. 52.
— — — uni mihi Pergama restant;
Incola captivo quae bove victor arat.
564. Ovidii est Heroid. XVII, 98. 565. schol. Paris.
566. Ov. Her. XVI, 284
Castaque legitimi fallere jura tori
571. schol. q. b. fecistis in hoc: 574. Ovid. Ars Am. I, 642.

Gaudeat Antenor simili ridere quiete,
His quoque personae proximitate datae.
Consentit populus et eis, qui regis ab ore
Expressi fuerant, omnia salva manent;
Et non expressis tantum, sed et omnibus his, qui
Participes hujus traditionis erant.

[GRATES ET PRECES ANTENORIS.]

Antenor surgit; ut fandi copia detur,
Obsecrat; hac sumta convenienter ait:
Grates Grajugenae gratanter reddo juventae
Pro bene servata, quam pepigere, fide.
Corpora nostra quidem rebus sunt integra salvis,
Nec nocuit nostris ulla procella necis.
O rex! in capite belli, cum bella sitiret,
Et daret extentas Troja superba minas,
Non ierat, sed iturus erat navemque struebat
Intendens Danais damna parare Paris.
Res ea displicuit Heleno, retulitque futurum
Remigio tali Troibus excidium;
Hic etiam reddi corpus persuasit Achillis,
Intumulata dolens membra jacere ducis.
Et fuerat Cassandra malo contraria vestro
Hoc casu, casum vaticinando Phrygum.
Immo clamabat manifeste, Troja tenenda
Quod foret exitio, si Paris iret eo.
Quicquid agebatur inter primordia belli,
Illa recusabat, quae Paris egit agi,
In tantum; quod eam pater atro carcere clausit,
Nec tacuit, pacem semper in ore tulit.
Concedas igitur his libertate potiri,
Et tua pro meritis gratia prosit eis.
Rex de consilio consentit, eisque duobus
Libertas etiam, re redeunte, redit.
Evadit quoque per Helenum regina precantem
Hecuba, reginae jungitur Andromache.

---

587. cod. Athenor. 597. cod. Helono.

[PRAEDAE DIVISIO.]

Res nova sollicitos invitat semper ocellos,
  Hac illacque trahit splendida Troja viros.
De multis laribus lar hic surrexerat unus,
  Unus erat solo lucidus igne locus.
Ignis Troja fuit, et tota; vagantur ibidem
  Graeci Trojanum circueundo locum.
Hic cineres, hic carbones, hic respicit ignes;
  Saepius est oculus in novitate vagus.
Ista regyrantes vocat in commune Quirites
  Et totum populum buccina dando sonum.
Nec mora. Conveniunt et conglomeratur in unum
  Quam tulerant, praeda, rege volente, locum.
Et quae dividitur et ab unoquoque levatur,
  Omnibus illectis portio magna satis.
Vivat in aeternum rex! clamant vocibus altis,
  Aera concutiunt, festaque fausta canunt.

[ATRIDES REDITUM PARAT.]

Vidit ut Atrides, quid enim non ille videret,
  Cujus in arbitrio Graecia tota fuit;
Trojam destructam, finitos esse labores;
  Cogitat in proprios vel remeare lares.
Ad notos etiam desiderat ire penates
  Graeca phalanx, annis exiliata decem.
O patriae natale decus! sic allicis omnes,
  Exul vix poterit immemor esse tui.
Conveniunt aliqui jam tempora certa daturi,
  Quando petenda forent patria tecta sibi.

---

616. schol. propter ignem. 625. cod. conglomerantur. 630. festa canunt. Ov. Fast. III, v. 714. 631. 32. Ovid. Remed. 467. 68. Vidit id Atrides. quid enim etc.
637. Gualt. Alexandr. I, 365
O patriae natalis amor sic allicis omnes
638. Ov. e. Pont. I, 3, 35. 36.
Nescio quâ natale solum dulcedine captos
Ducit, et immemores non sinit esse sui.

Sic igitur statuisse volunt, ut, quando veniret,
Vela levarentur omnia, quinta dies.
Propositum tale mutatio destruit aurae,
Sollicitum raucis nam mare fervet aquis;
Tempus enim quia per aliquod maris ira fremebat
Non poterant dicta vela levare die.

[POLYXENA INTERFICITUR.]

Est apud Aeneam servata Polyxena, Pyrrho
In thalamum mentis ejus imago cadit.
Nonne meo patri fuit haec occasio mortis
Cogitat, et studio pectoris ista rotat.
Tempore, quo Priami fuit a me regia fracta
Hanc ibi non vidi, reperietur ubi?
O Agamemnon! ait ad regem, quo tamen antro
Haec latitat virgo condita, scire volo.
Non memini me patris eam vidisse sub umbra,
Nec scio, quod tulerit Hecuba mater eam.
Undique rex quaerit pro virgine, mentio surgit
Quod sit ab Aenea tradita virgo patri.
Rex vocat Aeneam. Cur nos Aenea fatigas?
Intulit, ut veniat, pelle, puella, moras.
Aeneas petit Anchisem; virguncula prodit,
Ducitur ad regem certa subire necem.
Rex Pyrrho praesentat eam, sententia Pyrrhi
Extat ut interitum patris et ipsa luat.
Detrahitur moesta, scissaque Polyxena palla,
Et nocet alterius non sua culpa sibi.
Ad patrium jugulat detractam tiro sepulcrum,
Occidit hoc misero regia virgo modo.
Rex Anchisiadem pro clausa virgine culpat,
Qui jubet ut cedat, altera regna petat.

[POETA LOQUITUR DE LIBRO SUO.]

Virginis a partu duc annos mille ducentos
Et quadragenos his sociando novem,

658. Schol. Anchisae. 672. Lappenb. superadde novem.

Prodiit in lucem, tunc editus, iste libellus,
Quam miser est mundus insinuare volens.
Forsan adest aliquis dicetque; quis edidit illum?
Ista requirenti reddere verba potes.
Ecclesiam scis in Stadio, quam protegit alis,
Nam caput est ejus, virgo beata suis.
Qui scribens: „in principio verbum caro factum:“
Intonat, illius ad latus ille volat.
Prodiit ex rutilo roseus locus iste roseto,
Ingenua matrem nobilitate sequens.
Sic florendo vigent, ut odore, colore, sapore
Nunquam degenerent; his tribus ambo placent.
Splendescit virtute color, doctrinaque pascens
Est sapor et famae balsama spargit odor.
Abbatem nosti Tirricum, cui dedit olim
Ecclesiae dictae virgo patrocinium.
Cui virtus animam decorat, facundia linguam
Dapsilitate nitet, utilitate viret.
Ille, suos quondam non ultimus inter amicos,
Ante virum talem qui tulit ejus onus;
Edidit hunc sexto finitum mense libellum,
Cui tamen hoc tempus syncopa multa scidit.
Correxit pigritans. Labor hic, quam scribere, major;
At corrector ait: sint tua si qua valent.
Nulla poetarum posuit figmenta, Daretis
Historiam soliti scribere, vera tenens.
Et Phrygius fuit iste Dares, et tempore belli
Ipsa quidem miles proelia visa refert.

678. Margo. Iohannes. 681. Margo. Stadis. 682. Margo. Harsevelde. prius Rosenveld. 687. Abbas Theodoricus successit 1242 Alberto. 691. Margo. Albertus abbas Stadensis. 695. 96. cfr. Ovid. Pont. III, 9. 19. 20. 23. 24

Saepe piget (quid enim dubitem tibi vera fateri?)
Corrigere, et longi ferre laboris onus.
Corrigere at res est tanto magis ardua, quanto
Magnus Aristarcho major Homerus erat.

696. sua sc. correcta.

[QUOT IN BELLO OCCISI SUNT.]

Dicamus breviter Trojanae tempore pugnae
Parteque quot stratae sint ab utraque gulae;
Iliacos cineres post deseruisse Pelasgos
Scribamus, gades sic sibi figit opus.
Annos junge decem, sex mensibus, his duodenos
Adde dies, tantum Troica pugna stetit;
Post octingenta sex octogintaque ponas,
Millia Grajugenas tot cecidisse scias.
Troum sexcenta tria septuaginta ruerunt
Millia, sed nondum traditione data;
Extrema nocte cinerum cecidere ducenta
Et decies septem millia sexque Phrygum.
Pro toto Troum numero nonaginta vocantur
Et quadraginta millia terque tria.
Millesies mille permixtim quinque trecenta
Et denos octo millia caesa puta.
Quique superfuerant, ventum dispersit in omnem
Sorte premens illos asperiore deus.
Cum ratibus, quibus ad Graecos Paris iverat olim,
Navigat Aeneas, multaque turba comes.
Cum quadringentis et millibus esse duobus
Dicitur et tellus Adria tacta sibi est.
Longas sustinuit maris iras, nam sceleratum
Per mare, per terras septima jactat hiems.
Longo membra dedit infelicissima bello,
Externa tandem conditus exul humo.
Antenor subit Hesperiam, duo millia secum
Deducens populi pausat humatus ibi.
Hecuba Cassandram secum trahit, Andromachenque
Hectoris, est Helenus associatus eis.
Una Sybillarum Cassandra fuisse putatur,
Et bene concordat temporis hora rei.
Nam sub judicibus et eodem tempore, Trojae
Gloria quo cecidit, quarta Sybilla fuit.

---

711. Margo: quum incinerata fuit. 728. Margo: juxta Padum.

Tot positis numeris etiam fortasse requiris,
Currere versiculis quot liber iste velit:
Bis denis adde ter centum millia quinque,
Hoc numero textus texitur historiae.

[COMPELLATIO HELENAE.]

A campis, ubi Troja fuit, discedere victor
Cogitat et propriam visere Graecus humum;
Tota ferebatur, numerum quae copia vicit,
Ad latebras ratium praeda vehenda domum.
Redditur interea Menelao casta locusta
Deteriore statu sponte jocata diu.
Foemina digna mori redamatur amore priori
Reddita victori delitiisque tori.
Saeva quod evadis, non tradita cetera tradis,
Cur rea tu cladis non quoque clade cadis.
Si fueris lota, si vita sequens bona tota
Non eris ignota, non eris absque nota.
Rumor de veteri faciet ventura timeri,
Cras poteris fieri perfida sicut heri.
Quo semel est imbuta recens, servabit odorem,
Ut quasi concretus sit sibi, testa diu.
Quod pubem virus maculavit, canet in illis;
In quibus et canet, convenienter obit;
Nam medicina silet, ubi morbi causa silescit,
Horrent admotas vulnera cruda manus.
Tollere nodosam nescit medicina podagram,
Nec tibi concretam potio nulla notam.

738. Margo: excepto prooemio et capitulis. 753. Margo: locasta. Helena. 745—50. Benign. excid. Trojae 25—30, ubi tamen v. 25. pro nostri „redamatur" „remeatur". 748. cod. cur rea cladis. 751. 52. Benign. excid. Troj. 33. 34, tamen v. 34 „turpia" pro nostri „perfida". 753. 54. Horatii sunt. Epist. I, 2, 69. 70. 757. margo pro senescit. 759. Ov. e Pont. I, 3, 23. 24

Tollere nodosam nescit medicina podagram
Nec formidatis auxiliatur aquis.

Quod proba, quod stabilis, quod fias sponte fidelis
Fallere me metuo si fidejussor ero.
Si quis idem sperat, jacturas poma myricas
Credit et e medio flumine mella petit.
Nequitiae manifesta tuae documenta dedisti
Post bellum justo restituenda viro.
Quod tam reddenda quam reddita moesta manebas
Ad Graecos veniens turbida, laeta Phryges.
Impia verte gradum; cupias quodcunque necesse
Est; magni mundi sanguine plena redi!
Nonne peremisti tot millia sola maligna?
Quo debes tanti sanguinis ire rea?
Ingredieris item funesta palatia clara?
Nonne fores potius comminuenda rota?
Hanc noxam coxa decoxit, non tua dextra
Hoc decus a sera posteritate feres.

[FATA REVERSORUM GRAECORUM.]

Iamque viam suadet Boreas, et nave soluta
Optato flatu carbasa nota sonant.
Quumque dies ita per aliquos nat prospera classis
Aegei gaudet fluctibus usa maris,
Incipiunt epulis levibusque vacare cachinnis,
Sicut in exilium fugerit omne malum.

---

761. 62. Benign. excid. Troj. 35. 36
Femina victa mero quod inebriat ebria vero
Non fieri spero ne fidejussor ero.
763. 64. Ovid. Ars Am. I, 747. 48
Si quis — myricas
Speret: et in medio flumine mella petat.
776. Margo. Ironia ad id, quod Paris dixerat ad eam:
si de te toto contenderit orbis,
Nomen ab aeterna posteritate feres.
Ovid. Her. XVI, 373. 74.
777. Ov. Met. XIII, 418. 19.
Iamque viam suadet Boreas; flatuque secundo
Carbasa mota sonant.

Aeolus interea tollens ad sidera fluctus
Graecorum ratibus triste minatur onus;
Densatur coelum pice nigrius, ingruit imber,
Vela procellosis dejiciuntur aquis.
Inchoat horrendo misceri murmure pontus,
Nauta gubernandi grande perhorret opus.
Nec mora, diffugiunt et vasta per aequora currunt,
Saevaque spumantes concutit aura rates;
Locrorum classis immitibus obruta ventis
Frangitur in medio delacerata freto,
Nec satis insanis est quod confringitur undis,
Plus mare, cui parcit, fulminis igne perit.
Rex Ajax videat quum terras undique nullas
Naufragus in mediis brachia lassat aquis.
Littus ut inveniat nudos quatit ille lacertos,
Exitus hic fractis puppibus esse solet.
Cetera turba licet ligno tabulave vehatur,
Dum cadit in scopulos piscibus esca datur.
Exemplum positus animi patientis Ulixes
Iactatur dubio per dua lustra mari.
Insuper aetate provecta clarus ab illo,
Cui bene confiderit, vulnere fossus obit.
Cassibus intererat et cladibus, his Diomedes,
Attamen in proprium devenit ille locum.
Idomeneus item non pauca pericula passus
Intrat cum sociis patria tecta suis;
Devenit et Nestor, solitus componere lites,
Extinguens irae pacis in imbre faces;
Ad sua deveniunt etiam confinia quidam,

---

783. Ov. Met. IV, 701. 2.
— — paresque ad sidera supplex
Cressa manus tollens.
787. Virg. Aen. I, 128
Interea magno misceri murmure pontum.
795. 96. Ovidii Pont. I, 6, 33. 34
Haec facit, ut, videat etc.
Naufragus in mediis brachia jactet aquis,
806. tamen pro nostri „lassat" jactat ponere noluimus.
Margo. Idumeneus occisus ab Hectore, alius erat iste.

Promisit tempus nostra marina quibus.
Mente tamen tumida cogente, superbia mansit
Materiam multi compositura mali.
Nascitur inter eos rancor, tumor, ira, simultas,
Invidiae facinus, cum feritate dolus.
Denique conveniunt lites acuendo Corinthum
Inmemores propriam vix tetigisse domum,
Et nisi Nestorea pacem suadela crearet,
Fessus se populus in nova bella daret.
In sua victoria conversus viscera ferro
Fastus consuevit tot generare mala:
Nec sine jactura Menelaus foedere foedo
Foede foedatus in sua regna redit;
Rumor it, et magnum sermonibus occupat orbem,
Dum quae contigerant orbis in aure sonant:
Quam Paris abstulerat, et pro qua Graecia tota
Per denos annos proelia movit, adest!
Patria concurrit hac pro muliere videnda,
Ob quam tot proceres, tot periere duces.
Quamvis pulchra foret, dicunt, quia foeda fuisset
Passa peregrinum sponte libensque virum,
Non se debuerant in mortem pro muliere
Iam turpis famae millia tanta dare.
Nec poterat mundum Trojana ruina latere,
Undique fama volat, Troja per ora labat.
Mirantur quicunque solent ratione potiri:
Narrantis conjux pendet ab ore viri.
Troja, ferunt, cecidit, quam gloria celsa levavit,
Magnificum saepe nomen ad astra tulit.
Quanta potentatus fuerint insignia Trojae
Nec facunda potest promere lingua bene.
Ejus inhorrebant audito nomine reges,
Ejus ad imperium contremuere duces;

---

825. Ovidii est Metam. VI, 147. 837. 38. Ov. Her. I, 29. 30. Mirantur justique senes, trepidaeque puellae:
Narrantis conjux pendet ab ore viri.
838. Cod. Conjuunx.

Dives opum, regnum regionum, regia regum,
Inclita nobilium mansio, pompa ducum!
Tot populis et tot munitam turribus urbem
Credere quis posset obsidione capi.
Corruit invicta totiens, nihilque remansit
Incinerata jacet, sed neque nomen habet.
Corruit, exemplum terris immane dabatur,
Quod praesens certam non habet hora fidem.
Nam seges est, ubi Troja fuit, resecandaque falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.
Semisepulta virûm curvis feriuntur aratris
Ossa, ruinosas occulit herba domos.
Causa rei talis meretrix erat exitialis
Formosis malis artibus usa malis.
Conjugii Menelaus eam quod amore requirit,
Quod tu, quod faceret quilibet, iste facit.

[CONCLUSIO CARMINIS.]

Jam portum mea cimba tenet, jam nauta quiescit,
Plurima qui mersit agmina mortis aquis.
Involvit cum plebe duces, cum principe vulgus,
Cum populo proceres belligerasque rates.
Pergama tot populis quondam terrisque superba
Mortibus innumeris misit in interitum.
Ite! igitur per exemplum, genus o mortale reorum
Ad finem duxit quos mala vita malum.

---

848. 9. Imitatio Sabini I, 14
Jam cinis et tantum flebile Troja solum.
851. Ov. e. Pont. IV, 3, 50
Et certam praesens vix habet terra fidem.
852—55. Ovidii sunt Heroid. I. v. 53—56, mutavit tamen noster „Phrygio“ Ovidii in frigido; Ovidianum tenuimus.
854. margo. virorum. 856. 57. Guido de Colum. (ed. Argent. 1494) fol. paenult. A. col. a.
Causa rei talis meretrix erat exitialis,
Femina fatalis, femina foeta malis.
858. e margine pro amare. 864. Virg. Aen. II, 556
Pergama; tot quondam populis terrisque superbum
Regnatorem Asiae.

Cum fuerint unum non unum fulmina terrent,
Verbera non nostra, nostra putare salus.
In foveam cuncta cadit excellentia, poena,
Gloria, planities omne cacumen habet.
Inclita Troja ruit, vestigia nulla videtis,
In nihilum rediit, quod nihil ante fuit.
Reges, regalis opulentia, natio bellis
Turgida pomposis ut periere, cinis.
Nec gladii furias evasit Pyrrhus, Orestes
Ejus ob Hermionem terminat ense diem.
Perfoditur gladiis Agamemnon et ipse, nec ullus
Extremos sicco contigit ore rogos.

Ad generum Cereris sine caede et sanguine pauci
Descendunt reges et sicca morte tyranni.
Hos homo per strepitus impone silentia carni,
Sit bene vivendi res ea forma tibi.
Tu, qui sublimes conaris scandere turres,
Te lapsu subito praecipitante rues.
Crede mihi, bene si latitas, bene vivis et infra
Fortunam debes usque manere tuam,
Ne, cum forte suas repetitum venerit olim
Rex avium plumas, ridiculosus eas.

868. Sens. Fulmina cum unum fuer., non unum terrent. 869. margo. salus est. 878. margo: ullus eorum. 880. ante hunc versum legitur: non sunt de textu, et margo praebet „non propter Trojam hanc assumpsi materiam, sed proter quod nunc dico: „Tu qui sublimes etc."

885. 86. Ov. Trist. III, 4, 25. 26

Crede mihi; bene qui latuit, bene vixit: et intra
Fortunam debet quisque manere suam.

889. eas Fol. Cod. 161 Scholion habet: Rex avium pennas etc. Aves Christi sunt fideles, penna virtutis ad coelestia se levantes. Rex avium autem Christus est, de quo Psalmista ait: unus regit me et ipse, Christe! sine me nichil poteris facere. Idem rex avium plumis suis nos tegit, dum suis beneficiis nos nutrit Unde loquitur de ingratis: quotiens volui cogere sub alis et non etc. Iste rex olim, id est, in extremo examine cum venerit in majestate sua, plumas

Explicit Troilus a bello Trojano sic dictus.

Troilus est Troilus Trojano principe natus,
Et liber est Troilus ob Troica bella vocatus.

Est res insana nimium solamen habere
In spe mundana, quam nescit longa manere;
Gaudentes flere facit et gaudere dolentes
Sic fallit vere sese, velut umbra sequentes.

---

suas repetet, quare quid ejus beneficia sint in nobis operata, tunc discutiet; venturus est enim in gloria sua et tunc reddet unicuique secundum opera sua. Tu ergo bene latitas si facis cubiculum, et clauso ostio oras patrem tuum et infra fortunam tuam manes; si altum non sapis sicut hi miseri, quos liber iste tangit, sed times. Et hoc facere debes, ne forte, cum rex avium olim venerit repetitum plumas suas, ridiculosus i. e. confusione plenus eas, i. e. repulsus abscedas. Quod ne fiat, dicas: Ad te levavi animam meam et ne perdas cum his impiis animam meam et cum viris sanguinum vitam meam. Amen.

HILDEBERTI

VERSUS DE EXCIDIO TROIAE.

Divitiis, regno, specie, virtute, triumphis,
  Rex Priamus clara clarus in urbe fuit.
Dum rex, dum proceres, dum starent Pergama Troja,
  Quae decus, et species et caput orbis erat.
Rex Hecubam duxit sociam sibi nobilitate,
  Auspiciis, forma, rebus, amore trono.
Ex hac suscepit natos. Erat Hector in illis
  Summus, et in bello fulminis instar habens.
Plus ferus ille fero, plus urso, plusve leone;
  Sic fuit absque fere plus ferus ille feris.
O faustum natis! o faustum conjuge regem!
  Si pariter Paridem non peperisset ei.
Non in eo peperit pignus, sed tela, sed ignes,
  Sed sibi, sed Priamo, sed mala cuncta suis.
Hoc pater, hoc genitrix, hoc fratrum coetus et Hector,
  Hoc etiam regni gloria Troja cadit.
Hunc Paridem paritura parens per somnia vidit;
  Vidit pro puero se peperisse facem.
Dum rex in signo tunc signi percipit, horret
  Quod parat in pignus impius esse pice.
Nam puerum natum pro jussu regis in Idam
  Servi tollentes ense necare parant.
Sed puer adspiciens ensem radiare coruscum,
  Arridet gladio nescius ense necis;
Quod percussurus cernens cor flectit, et ictum
  Et ferus et feriens desinit esse simul.
Sub foliis vivum linquit, quem pastor oberrans
  Invenit, ut foliis nuper opertus erat.

Dum videt hunc sanum, dum vivum, dumque decentem
Extrahit, adspectat, nutrit, adoptat, habet.
Qui pastoris oves pastor dum pascit adultus:
Conveniunt ad eum Juno, Minerva, Venus.
Iudicium Paridis quae sit pulcherrima quaerunt,
Promittunt etiam munera quaeque sua.
Juno decus; Pallas vires; Cytherea puellam:
Sed Veneri tribuit vincere, victus ea.
Rex aliquando videns hunc talem, tam speciosum,
Tam quoque consimilem, concipit esse suum.
Remque probans veram per servos vera fatentes
Germanis Paridem reddit honore parem.
Ductus amore pater, vel matris somnia ducit
Vana, vel in melius vertere vera studet.
Sic neque consilium, neque res, neque regia virtus,
Nec superi, nec homo, vertere fata valent.
Sed laudata Venus culpam pro laude rependens:
Hunc monet, hunc angit, hunc cremat igne novo.
Quid? Pari! quid mutas pariter cum corde colorem?
Sic stat, sic loquitur, sic meditatur amans.
Te Veneris promissa movent, Helenaeque venustas,
Quam pro laude tibi sed sine laude dabit.
Te movit et species et apex et sanguis, et aetas,
Nec movet, immo ligat; nec ligat, immo trahit.
Hanc cupis, hanc ardes, hanc prorsus quaeris habere:
Quam lex, quam Danai, quam tibi fata negant.
Cur conjuncta viro mulier? cur regia conjux?
Cur ignota tuis? cur tibi Graeca placet?
Cur non grata tibi potius virguncula? cur non
Ipsa Venus, quae te judice pulchra fuit?
Cur sic degeneras totus generatus in armis?
Ne sic degeneres; Hectoris esto memor.
Nonne miser reputas miserabile? nonne pudorem:
Te solum Veneris, Palladis esse tuos?
Cedat mollis amor patriae virtutis amore.
Hectoreum fratrem non nisi tela decent.
Ergo sequens animos animosi fratris et arma:
Quod cupit illud ama, quod facit illud age.

Vince prius Venerem, si vis eques esse virilis:
Armis et Veneri nemo vacare potest.
Nec laus, nec probitas, nec honor superare puellam;
Sed Veneris vitium vincere laudis opus.
Noli nunc frustra Veneris sed castra Minervae.
Haec docet illa furit; haec juvat, illa nocet.
Jam resipisce Pari, navesque relinque paratas,
Consilio parens jam resipisce Pari!
Cum sit amor vetitus, vetiti malus actus amoris.
Si malus ergo nocet; si nocet, ergo fuge.
Cujus coepta scelus, medium timor, exitus ignis:
Tu fuge, tu reproba, tu metuendo cave.
Sed concepta nequis vitare cupidine victus,
Quo quodcunque paras peste parare parem.
Te tua fata trahunt, ne coepta relinquere possis:
Ut rapias Helenam te tua fata trahunt.
Sic est omnis amans, sic se, sic omnia spernit:
Consilium, famam, foedera, jura, deos.
Hic amor ut praeceps, ut coecus, ut impetuosus,
Ut ratione carens, nescit habere modum.
Hic amor est amens, aliis inimicus et ipsi;
Non amor, immo scelus; non scelus, immo furor.
Instruit ergo rates, transit mare, quaerit amicam,
Hanc rapit, hac fruitur, hanc male tutus habet.
Custodes seu vi, seu munere, seu prece victi,
Vel nece, vel latebris, vel periere metu.
Quo rex audito Menelaus, dum fremit ira,
Vix tenet a gladio se feriente manus.
Flet, tonat, insanit, frendet, gemit, aestuat, ardet,
Incusat superos, moenia, fata, fretum.
Odit enim vitam simul et solatia vitae:
Divitias, requiem, gaudia, sceptra, cibum.
Mavult ipse mori: quia non moriatur adulter,
Sic sua, sic reputat se nihil absque sua.
Excidium Trojae tractat, molitur, anhelat:
Dum solum Paridem ducit obire parum,

71. frustra = frusta, frausta.

Omnes omnino putat hostes hostis amicos,
Et quicquid pariter pertinet ad Paridem.
Legatos igitur mittens legit undique vires,
Cui parere parat quisquis ad arma volet,
Sublimes, humiles, cunctos injuria regis
Tangit, et hanc omnis judicat esse suam.
Et quamvis doleant regisque suoque dolore,
Plus pudor ablatae, quam dolor, urget eos.
In Phrygiam totam conjurat Graecia tota,
Ut pariter pereat cum regione Paris.
Junctis militiae turmis peditumque catervis,
Imperat in Paridem rex animosus iter.
Mille rates ducens petit Ilion, obsidet illud,
Irruit, atque cito vincere sive mori.
Fortiter obsistit Danais Trojana juventus,
Inque vicem strages dantque feruntque feras.
Dumque sub incerto pendet victoria certa,
Inter utrosque diu sors velut aequa volat.
Nunc hi nunc illi versa vice ferre videntur
Insidias, ictus, vulnera, damna, fugas.
Praeter communes casus patiuntur Achivi
Multa, fames, pluvias, frigora, cauma, sitim.
Aeacidem magnum Philoctetae fastu sagittas
Poscunt, ut possint Pergama posse capi,
Hinc et eas monitis vatum Danai sibi quaerunt;
Hoc furor Hectoreus, his cadit ipse Paris.
Sors melior belli Teucris stetit Hectore stante,
Qui spes, qui clypeus, qui vigor urbis erat.
At ferus Aeacides, ut venit, ut Hectora vicit,
Vis Teucrûm victo vindice victa fuit.
Aeacides quantus fuerit, vel qualis, et unde,
Prodit, et auctoris pagina multa docet.
Si vim, si mentem, si bella requiris Achillis:
Ut doceam paucis: Hectore major erat.
In castris Danaûm Palamedes, Nestor, Ulysses
Plus sunt consilio, quam probitate duces.
Aeacides, Ajax, Diomedes, Pyrrhus, Atrides:
Hic flos, hic lumen, hic pietatis apex.

Quid Stenelum? quid Testoridem? quid Prothesilaum?
Quid referam plures, quos sua fama refert?
Quis Dolopes? quis Mirmidones? quis denique cunctos
Grajugenum proceres dinumerare queat?
Tandem rex Danaûm per vim, per facta, per illud
Palladium Trojam post duo lustra capit.
Hac igitur capta, sed fraude, sed arte, sed armis;
Hinc perimunt Priamum Priamidasque simul.
Neve stet urbis honos, devastant caetera quaeque;
Mucro viros, aries moenia, tecta rogus.
Quod tamen urbs capta est, quod victa, quod obruta, totum
Arte Sinon parvi ligneus egit equus.
Viribus, arte, minis, Danaûm clara Troja ruinis
Annis bis quinis fit rogus atque cinis.
Urbs bona nunc dumi vi flammae, turbine fumi
Non ita consumi digna, resedit humi.
Nutu Junonis et iniqui fraude Sinonis,
Clamque datis donis exspoliata bonis
Sponsus Penelopes passus mare, monstra, Cyclopes,
Transtulit ad Dolopes Laomedontis opes.
Flamma Paris patriae, formae quo judice diae,
Troja caput Phrygiae, flosque jacet Asiae.
Junonem laedit, Veneri cum pastor obedit,
Cum judex sedit tot tibi damna dedit.
Ne quis amet temere docet obruta Troja cavere,
Quae Paridis scelere fit nihil absque fere.
Priamidis lacerae regumque domus cecidere.
Turres innumerae nunc ubi? sub cinere.
Palladis armigerae quo templa domusque fuere,
Extendunt hederae brachia lenta*) fere.
Raptu Tyndaridis furor est accensus Atridis
Bellaque Dardanidis movit amor Paridis.
Pellicis obscoenae commovit forma Lacenae
In scelus effrene pectora Trojugenae,
Sic facies Helenae fuit exitus urbis amoenae,
Crines, colla, genae cunctaque comta bene.

*) Cod. lustra.

Quam facit audaces amor in sua damna procaces!
Curas mordaces inhiat atque faces.
Dum male grata places Helenae nutusque loquaces
Quamvis ipsa faces Ilion inde jaces;
O res fatalis, fuit omnibus exitialis
Talibus heu talis foemina causa malis.
Digna perire mari potius, flammisque cremari,
Qua tot privari luce ferisque dari.
Tempora bellorum rex indicens Danaorum
Aestuat amborum dissociare thorum.
Partes ultoris iuvat, auget, famaque pudoris
Raptam raptoris questa jacere thoris.
Res ea Pelidem movet, ut comitetur Atridem,
Aeoles in Paridem commovet illud idem.
Jurant Grajugenae, jurant in bella Micenae,
Castra quae sunt juvene, suntque referta sene.
Hector consilio, nutu Tritonia dio.
Pelides gladio dant Phryges exilio.
Praesidium fidum stetit urbis in Hectore, qui dum
Stabat, Dardanidum robur erat validum.
Cuspide Pelidae simul idem defuit Idae,
Audebant trepide proelia Dardanidae.
Urbs ruit Assaraci, quam flammae tradit edaci,
Vita, res, o Thraci, demta dolis Ithaci.
Quae cecidit staret, nisi Thracem mors superaret,
Quaeque jacens paret regia iussa daret.
Quin res Ideae pereant nequit ars Cythereae
Nec domus Aeneae tuta favore Deae,
Nec regale decus vi posset frangere Graecus
Sed dolus, atque secus moenia ductus equus.
Dumque Sinon orat veniam, dum verba colorat,
Solvitur, explorat, claustra foresque forat;
Quosque foris norat recipit, scelerique laborat,
Dum res explorat, moenia flamma vorat.
Postibus ablatis, custodibus et jugulatis,
Succubuit fatis urbs miseranda satis.
Urbs miseranda nimis, imo dives rebus opimis
Inclyta, sublimis, una fit ex minimis.

O furor effrenis, patuit Neptunia poenis
Troja dolo juvenis prodita Grajugenis.
Flamma dein sedes et regum dejicit aedes,
Hinc equus ad caedes irruit inde pedes.
Vix sit habenda fides, quod millia sternat Atrides,
Ajax, Titides, Pyrrhus Achilleides.
Instant ense truces, dum flammis Troja reluces,
Passus vincla, cruces, interimendo duces.
Quilibet armati primum patet impietati;
Sunt serie fati tot mala jussa pati.
Caeduntur pueri juvenesque senesque severi
Omne licet sceleri, quod scelus est, fieri.
Vi jacet hostili genus Assaraci, genus Ili,
Igne lares agili sede jacens humili.
Tunc fieri cineres gemmas, ebur, ostra, videres
Tunc Danaos celeres in scelus aspiceres,
Aspiciens flores tot parvos, tot mulieres,
Tot perimi proceres, totque viros veteres.
Regum rex haeres, periit simul Hecuba moeres,
Ut corpus laceres, ut doleas superes.
Alter Homerus ero, vel eodem major Homero,
Tot classes numero scribere si potero.
Ut res declarat, igitur fundamenta locarat
Phoebus, et captarat, moenia vomer arat.
Et fit opus clarum, quod rex fabricarat, aquarum,
Lustra leaenarum, silvaque tuta parum.
Atria milvorum, locus et spelunca luporum,
Pascua sunt pecudum templa, theatra, forum.
Ad vitium thalami quod adaugent Cypridis hami
Vepres et calami regna tenent Priami.
Culminis Idaei quod gloria perniciei
Sic datur, illud ei contulit ira dei.
Dum sic Troja cadis tantae discrimine cladis,
Aeneam tradis, teque ratemque vadis.
Et Venus huic moli subduxit provida proli,
Huic domui soli nil nocuere doli.
Hesperiae metas tibi longa spoponderit aetas,
Te servat pietas, ut nova regna petas.

Vi tempestatis sociis tibi rarificatis
Vel rapuit fatis per freta longa Paris.
Egrediensque fretis, qua sedes, parta quietis
Cursibus expletis a sapiente petis.
Hospita Cumanis, impulsibus acta profanis,
Debita Trojanis fata Sibylla canis:
Quanta parant Rutili, quam gloria surgat Juli,
Qui regum tituli regnaque qui populi.
Ergo damnatae spe firmus fidus Achatem,
Hesperiae latae tendis in arva rate.
Plurima bella geris, tibi tum loca debita quaeris
Sed fretus superis obvia quaeque teris
Turnus ut elatus tibi fata tuisque minatus
Occubuit stratus, dum fodis ense latus.
Pro qua certatur tibi regia virgo dicatur,
Paxque reformatur, dum tibi nupta datur.
Hinc processerunt, qui Romam constituerunt,
Qui dum bella gerunt, fortia quaeque terunt.
Et tibi fecerunt nomen quod in astra tulerunt,
Ut, qui scripserunt pristina gesta, ferunt;
Romaque turrigerum caput effuit maxima rerum
Tam dono superum quam studiis procerum.
Sic ex Aenea crescunt Romana trophaea
Sic gens Romulea surgit ab Hectorea.

INDEX LATINITATIS.

adaptare = aptare. V, 314.
adscire = acciere. I, 133.
advos = advors, adversus, hospes, hostis, alienus. I, 572.
aequiparativus = aequus. IV, 792.
alabrum. Haspel. V, 209.
allectoria verba = suasio. IV, 225.
alterutrare = alternare. III, 10.
ancorare = ancoris navem constituere. II, 288.
armellus. mus ponticus, armellinus, armellina. IV, 755.
bever = fiber, castor. IV, 755.
bipartire = bipartiri. V, 372.
bisulcare = dirimere. IV, 252.
braccare = braccas induere. V, 509.
cacabus, utensile coquinae. metaphorice. IV, 374.
calcare = vitiare. V, 119.
cancrinus. pede cancrino = pede tardo, senis. IV, 194.
caprizans = saltum faciens. V, 131.
cassare = delere. I, 499.
cifra = nota. datur cifra pigris. I, 795.
ciphus = scyphus, vas minus. V, 138.
circumscriptibilis locus. IV, 710.
commune = conventus, consilium. I, 279.
comperimo = compereo. I, 108.
confabricare = confabricari. VI, 82.
conservamen = conservatio. VI, 351.
contrarietates, quae contra dicuntur. VI, 3.
corrigia = zona, flagellum. IV, 282.
cortina = velum, nostr. Gardine. V, 31.
cristare = fulgurare V. 229. = cristam habere. VI, 353.
culturam vindicare = cultum, venerationem vindicare. I, 132.
dedicare = negare. IV, 197.
deliciari = delectari. V, 356.
denigrare = detergere, deterius facere. I, 421.
deprope = statim, deinde. IV, 468.
derosulare = derodere. IV, 224. derosulata = foliis denudata. V, 260.
desipere = alieno sapore, priore amisso inficere, aberrare. III, 526. mucro desipit. Epitomat. 968. dissiluit mucro.
devolitare = devolare. VI, 473.

diapente, mensura in musica tribus constans tonis et dimidio (Quinte). V, 131.
diescere = dies fieri, diei instar lucere. V, 9.
diffamare, διαφημίζειν, devulgare, pervulgare. VI, 241.
diffibulare = avertere. V, 563.
diffinire = definire.
dissido = dissideo. IV, 492.
docivus = qui docet. V, 109.
doma, domatis = tectum, domus. III, 824. VI, 442.
duplare = duplicare. V, 747.
emenda = satisfactio. I, 432. II, 403.
enbipedare = dubiis pedibus ire, vaccilare. VI, 425.
exere = ejicere. V, 543.
expressus = distinctus. VI, 584. 585.
factura = forma. II, 49.
firmamentum = praesidium.
fossatum = vallum. V, 249.
fulcrum = fultrum, ornamentale pannum. V, 12.
furfurare = facere ut nitent. I, 524.
gades = limes. VI, 704.
gausape (gausapa) gausapium. mappa qua tergitur. V, 348. Vocabular. Latin. Germ. 1477. interpretatur per Handzwehl.
gerundiva verba pacis; verba quae pacem faciunt. III, 283.
girgillus = rota: instrumentum femineum, nostr. Weife. V, 208.
hymnidicatas = hymnidicus. hymnis celebratus. V, 160.
idemtitus = aequalitas, paritas. gallic. identité.
idoneitas = facultas. I, 181.
impejorare = pejorem facere. III, 564.
imprime = imprimis. V, 247.
improperare = deridere, improperium afligere. I, 274.
incunctanter = sine mora. II, 481.
infamare = divulgare, accusare, criminari.
infortes = valde fortes. II, 436. IV, 186.
infruticare = germinare, de barba dictum. I, 579.
ingeniare = per ingenium excogitare. V, 929.
inhonestas = indignitas. IV, 222.
inopinatissimus. VI, 405.
insuperatus = qui non superatus est. V, 966.
irreditura = non reditura. I, 386.
irrutilare = rutilare. IV, 706.
jugiter = continuo. VI, 6.
laboriperus = laborem parans. VI, 238.
lacrimor = lacrimo. VI, 503.
lacus. fem. gen. V, 296?
latitanter = clanculum. III, 209.

levipendere = parvi aestimare. I, 191.
lubricitas = impudicitia. IV, 138.
lutosus = sordidus. V, 831.
marina = aestus maris turgidior. VI, 812.
martur = martes, pannonicus cattus. IV, 755.
mediare = in duas partes dividere. II, 29.
mollificare = mollem facere. IV, 226.
mungo. μύω. privare. VI, 300.
muscidus. m. annis. IV, 3.
myrteus. de colore crinis. II, 73.
nocumentum = damnum. VI, 354.
obrivare = redundare. I, 437.
pălare = fugere. fortassis cohaeret cum balare, saltare. IV, 259. 359.
pălare = palam facere. III, 737.
palliare = pallio vestire, tegere. III, 737.
Pelopensis = Pelopejus. I, 7.
pigritari = lassum esse. VI, 695.
pirula = perula, extremitas. p. nasi. IV, 663.
placitare = in judicio loqui. V, 951.
plata = platea. IV, 643.
polis = urbs. III, 642.
pontificus a. um. II, 304.
probatio = approbatio. I, 345. V, 861.
proire = praeire, praecellere.
propino = praebeo. IV, 479.
quadratus. corpore quadratus. II, 96. membris quadratus. II, 80. gallice quarré.
querelare = querelas facere. V, 959.
rancor = ira, odium. ital. rancore gall. rancune, rancoeur.
rationabilius.
reforsare = refortiare, amplius munire. I, 135.
renactus = circumdatus. VI, 417.
repariare = renavigare. I, 112. repariare naves = navigare. V, 862.
repatriare = in patriam reverti. Argum. lib. VI, 10.
saberus = sabellum, martes. vulg. Zobel. IV, 755.
sanguinolentare = sanguine sitire. V, 378.
segnus = segnis. V, 974.
sententio = sententiam proferro. VI, 117.
smaragdare = colore smaragdino induere. V, 7.
sollemtus = festivitas. V, 145.
spirale = spiritus, exhalatio. II, 490.
stellare = stellis micare. stellant magnis oculis. II, 25. stellatus oculis. II, 45.
strepa = stapes quo quis in equum tollitur. I, 798. V, 200.
subinfra. II, 460.

subintereo = intereo. V, 330.
subsannare = irridere.
subsannativus = irridens. II, 601.
subterrare = sepelire. III, 185.
succino = anumerare. II, 396.
surma vid. syrma.
supiciosus = suspectus. VI, 186.
syrma = vestis humum verrens. IV, 750
temo = navis gubernaculum. I, 6.
terebrare minis. I, 262.
teristrum = theristrum, palliolum, vestis muliebris, V, 207.
tibia. Non est tibi tibia tanti. I, 223.
triteae, ligna super quae potabilia ad coenae usum posita sunt. V, 143.
truculantia = truculentia, ferocitas.
turnare = pugnare. II, 815.
umbrificare = adumbrare. III, 62.
variare. probra v. restituere. I, 530. 31. II, 312.
velter = veltris, veltraha, canis sagax. IV, 283.
vilatus = dilatus. vilere, vilescere. III, 192. legitur melius dilatus.
visivus. gladius visivus; de oculis qui quasi gladii pungunt et vulnerant. I, 605.

singerum, Ebertum, Schoenemannum, Lappenbergium et Dungerum (die Sage vom trojanischen Kriege in den Bearbeitungen des Mittelalters und ihre antiken Quellen. Dresden 1869) qui codicem ipsum inspexerunt, omnibus incognita erant. Cholevius (Geschichte der deutschen Poesie I, p. 146) nomine Troili deductus fabulam Troili et Chryseidos enarratam esse male putat, itemque amicus noster Graessius errat, quod (Litteraturgeschichte II, 3 p. 116) citans Wernsdorf. poet. min. T. III, 2. p. 596 Troilum esse editum contendit, quum illo loco nihil de Alberti Troilo inveniatur, et locum Wernsdorfii IV, p. 596, ubi de scriptoribus belli Trojani agitur, non recte interpretatus sit.

Unico tantum codice carmen servatum est, qui codex quondam usque ad annum 1332 inter libros Sanctae Mariae in Holsatiae Novo Monasterio, ut docent inscriptiones primae et ultimae paginae: „liber scte marie in novomonasterio; liber scte marie virginis in novomonasterio," fuerat, deinde in monasterio Bordesholmiensi sub signo G. nr. 18 (cfr. catalog. biblioth. Bordesholm. in nostro libro: bibliothekar. Unterhaltungen. N. Samml. p. 39) quod idem fuit quam Novomonasteriense. E bibliotheca Bordesholmiensi codex cum aliis (fortassis in bibliotheca Gottorpiensi asservatis) libris in Marquardi Gudii, qui 1671—1678 praefectus bibliothecae Gottorpiensis erat, manus venit (cfr. Bibliotheca Gudiana Hamb. 1706. p. 559 nr. 196) et bibliothecae academiae Iuliae Helmstadiensis inter manuscripta Gudiana comparatus, atque hinc in Guelferbytanam, ubi nunc sub signo: „278 Gud." adservatur, translatus est.

Codex noster membranis octuplicatis scriptus antiquo tegumine gaudens continet 162 recentiori tempore numerata folia, in quibus tria diversa scripta:

1) fol. 1^a fragmentum Cornelii Nepotis (cfr. edition. Bardili II, 384 sq. et Heusinger. l. l. p. 125 sqq.).

2) fol. 1^b—80^b Ciceronis orationes Philippicae I—XIII, cap. 9, quae saeculo undecimo exaratae sunt.

3) fol. 81ª—160ª noster Troilus. Haec folia exeunte saeculo decimo tertio vel ineunte quarto decimo a manibus duabus fere aequalibus exarata sunt.

Fol. 160ᵇ tantum inscriptionem: lib' scte marie virginis in novo monasterio praebet, fol. 161ª a tertia manu scriptam glosam ad lib. VI, v. 889; fol. 161ᵇ vacuum fol. 162 folium tegumini adjectum membraneum.

Textus Troili integer, codex ipse non plane perfectus est. Quum enim in priore parte librorum inscriptiones, capita atque litterae initiales minio adpictae, singulorum versuum litterae initiales rubro colore a summa usque ad imam paginam insignitae sunt, in parte altera, nondum desinente manu priore, miniaturae desunt, quare difficilius capita et libri inter se discernuntur. Inscriptiones et distinctiones supplevimus, prooemium grammatici ignoti additum est ut et glosa ultimi versus in fine libri. Margini codicis ab utraque manu diversis in locis notulae adscriptae sunt, quas exhibendas nec negligendas esse putavimus. Hic illic in margine praesertim prioris partis leguntur Or. O. Al. Cl. Hom. Stat. Luc. Av. Vgl. Es. Alex. quae signa denotant Horatium, Ovidium, Alani Anticlaudianum, Claudianum, Homerum (i. e. Epitomatorem), Statium, Lucanum, Avianum, Virgilium, Aesopum (i. e. Anonymum Neveleti), Gualteri Alexandreidem. Si non expositio grammatici cujusdam ignoti ad initium carminis et duae manus exstarent, fortasse putare liceret emendationes in margine et has notas ab ipso poeta scriptas esse, qui quibus scriptoribus depromserat versus, indicare voluerit. Emendationes auctori ipsi tribuendae videntur secundum versus lib. VI, 693 sq.

„Edidit hunc sexto finitum mense libellum,
Cui tamen hoc tempus syncopa multa tulit.
Correxit pigritans. Labor hic, quam scribere major
At corrector ait: sint tua si qua valent."

Interdum hic vel ille scriptor in margine adscriptis notis falso citatur et sub Ovidii nomine saepe Maximianus (Pseudo-Gallus) Pamphilus et Benignus Floria-